

*MASTER
NEGATIVE
NO. 91-80066-2*

MICROFILMED 1992

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES/NEW YORK

as part of the
"Foundations of Western Civilization Preservation Project"

Funded by the
NATIONAL ENDOWMENT FOR THE HUMANITIES

Reproductions may not be made without permission from
Columbia University Library

COPYRIGHT STATEMENT

The copyright law of the United States -- Title 17, United States Code -- concerns the making of photocopies or other reproductions of copyrighted material...

Columbia University Library reserves the right to refuse to accept a copy order if, in its judgement, fulfillment of the order would involve violation of the copyright law.

AUTHOR:

BRUGGEMANN, JOSEPH

TITLE:

IMPERATORIS MARCI
SALVII OTHONIS VITA...

PLACE:

MONASTERII

DATE:

1868


Master Negative #

91-80066-2

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record



Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 11x2A
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 6/25/91 INITIALS RA
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT





AIM

Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910




301/587-8202



Centimeter



Inches



MANUFACTURED TO AIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

177
955

no. 2

1-

DE
IMPERATORIS
MARCI SALVII OTHONIS
VITA ET REBUS GESTIS.

DISSERTATIO HISTORICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ALMA LITERARUM ACADEMIA REGIA MONASTERIENSI

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE IMPETRANDOS

DIE XXVII. MENSIS MARTII A. MDCCCLXVIII

IN PUBLICO DEFENDET

SCRIPTOR

IOSEPHUS BRÜGGEMANN,
BOEDEFELDENSIS.

MONASTERII.

TYPIS IOSEPHI KRICK.

MDCCCLXVIII

Ac 1410 (3)⁷¹

L. nat. i. Primitias

DOMINO REVERENDISSIMO

FRIDERICO DE NAHMEN

PRAECEPTORI SUO OPTIMO

HASCE STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

SCRIPTOR.

Praefatio.

Imperatorum Romanorum historia magnam vel maximam partem tantum abest, ut pios sensus excitet in animo ac delectet legentem, ut summa afficiat aversatione et honestatem laedere ac penitus evellere videatur. Quodsi negari non potest, quo integrioribus fuerit moribus, eo libentius cuiusdam vitam et enarrari et legi, fiat necesse est, ut offendant vita pravissime acta eorum praesertim, qui virtutum quasi duces atque exempla existere debent. Neque vero ea re rerum scriptor impediri debet, quominus eiusmodi vitam tractandam suscipiat memorem praeclarissimi illius scriptoris praeclarae sententiae: „Hoc illud est praecipue in cognitione rerum salubre ac frugiferum, omnis te exempli documenta in illustri posita monumento intueri: inde tibi tuaeque reipublicae quod imitere capias, inde foedum inceptu, foedum exitu, quod vitas.“¹⁾

Quae verba quam recta quamque vera sint, quum neminem effugere queat, cuiusque viri res gestae non aequius quam verius in medium proferantur oportet. Haec autem sanctissima sane scriptoris lex haud raro negligitur, quum mala, ipsa sordidissima virorum facinora vel probare vel excusare studeant.

Quod vitium in conscribenda Marci Salvii Othonis, Romanorum imperatoris, vita, pro virili parte ut effugerem, operam navavi.

¹⁾ Cfr. Liv. praefat.

Ut autem illa potissimum tempora tractanda suscipere, quae opima casibus, atrocia proeliis, seditionibus discordia, ipsa etiam pace saeva fuisse Tacitus refert,²⁾ quae verba Zosimus³⁾ affirmat dicens se de Neronis eiusque successorum temporibus nihil omnino commemorandum arbitratum esse, ne memoria dissolutorum et monstrosorum facinorum ab iis perpetratorum, exstaret, tribus praecipue causis me adductum esse fateor.

Ac primum quidem non adeo virtutum sterile illud saeculum fuit, ut non et bona exempla prodiderit, quamvis atrox omnino esset.⁴⁾

Deinde vero hoc quoque ad istam rem efficiendam me impulit, quod nuperrime libellus in lucem est editus, qui est „De Imperatoris Servii Sulpicii Galbae vita et rebus gestis.“⁵⁾ Itaque non multo post constitui, de eius successore scribere, qui ex illorum trium numero est, de quibus Philostratus tradit⁶⁾: „Viri, qui brevi tempore usi sunt, Vitellius, Galba, Otho.“ Neque enim quisquam eorum totum per annum imperium tenuit neque iustam obiit mortem, quum Galba et Vitellius interfecti sint et Otho sibi ipse mortem conscierit.

Maxima denique causa haec adiungitur, quod complures apud rerum scriptores occurrunt res, quae adhuc in dubio sunt, quum illi multis locis mirum in modum inter se discrepent, quin etiam interdum sibi ipsi non consent. Ex eo autem numero, qui de Othone memoriae tradiderunt, primum nominandus est Tacitus, luculentissimus illius temporis auctor, qui res acri iudicio, permagno veritatis studio narrat.⁷⁾ Dolendum igitur maximopere est, quod nonnulla

²⁾ Cfr. Tac. Hist. I. 2. — ³⁾ Zosim. I, 6.

⁴⁾ Rudorff.: Rhein. Mus. II., p. 289. — Wietersheim.: Gesch. d. Völkerwdr. I, pag. 149. — Tac. l. c.

⁵⁾ Cfr. Dr. Boeving. Monasterii 1867.

⁶⁾ Philostr.: De vita Apollonii Tyani V., p. 218.

⁷⁾ Cfr. Niebuhr.: Röm. Gesch., bearb. von Dr. Leonhard Schmitz und aus dem Englischen übersetzt von Dr. Gust. Zeiss. V. Thl. p. 233.

eius opera temporis invidia deleta sunt et ipse auctor nonnullos locos, qui accuratius explicentur, dignos, obiter in medium profert, quod iam luget Savilius.

Praeterea Suetonius Othonis vitam scripsit, qui non certum secutus consilium saepenumero in erroribus versatur (cfr. Niebuhr. l. c.). Sed tamen magni eius auctoritas aestimanda est, quia et aequalium usus est fontibus et nonnullas res narrat, quas ipse suis oculis viderat.⁸⁾ Cavendum quidem est, ne ei maior tribuatur fides, quod maxime dici potest de iis, qui post Tacitum et Suetonium res Romanas retulerunt.⁹⁾

E Graecorum scriptoribus usus sum praecipue Plutarcho, de quo alio loco fusius dicam, ac Cassio Dione.

In scriptoribus Byzantii temporis summa adhibenda est diligentia, ne temere iis fides habeatur, quippe quorum libri referti sint magnis interdum erroribus. Attamen nonnulli eorum minime sunt negligendi, velut Zonaras ac Xiphilinus, qui Cassii Dionis scripta maximam partem expleant.

Neque vero antiquos solos, sed recentiores scriptores, Tillemontium, Crevierium, Niebulrium, Schlosserum perlegi diligentissime et difficultates atque locos difficiliore enucleare, quoad potui, tentavi. Etenim recentiores quoque illi scriptores in diversam saepenumero partem abeunt.

Sed haec quidem hactenus.

Iam ad rem ipsam enarrandam, si placet, aggrediamur ita, ut primum disseramus de Othonis maioribus, deinde de eius vita, dum imperator factus est, tum quae bella gesserit, denique de eius morte ac moribus.

⁸⁾ Cfr. Dirksen.: Abhandlg. der Königl. Akad. der Wissensch. zu Berlin 1848 in „Beiträge zur Auslegung einzelner Stellen in den Kaiserbiograph. d. Sueton.“ p. 43.

⁹⁾ Cfr. Heyne.: Opusc. Acad. VI. p. 52.

I.

De Marci Salvii Othonis maioribus.

M. Salvii¹⁰⁾ Othonis maiores generis antiquitate floruerunt, quippe qui principibus Etruriae orti esse et ad amplissimos honores pervenisse perhibeantur.¹¹⁾

¹⁰⁾ Sunt, qui pro „Salvius“ legi volunt „Silvius“ vel „Sylvius“. Ita Glandorpius totam Othonis familiam ad Sylvium nomen retulit. Cfr. Glandorp. Onomast. p. 825. Quod quam falsum sit, ex lapidibus nummisque cognoscitur, ubi leges: „Salvius“ cfr. Eckhel: Doctrina nummorum VI, p. 300 ff — Marini: Acta frat. Arval. I, p. 106, tab. VII et p. 94, ubi Marini auctoritate confisus lapis: „Del Palazzo Capponi.“ lectionem „Salvius“ statuendam censet — Cfr. eine neue Arvaltafel, entdeckt von Pietro Ceccarelli, abgedruckt in der „Zeitschrift für class. Philol.“ von Hermes. ed. Hübner. 2. Bd. I. Heft. Berlin 1867, ubi p. 39 ff. „Salvius“ invenitur. — Cfr. Carl Zell: „Handb. d. röm. Epigraphik.“ 2 Thl., qui optimis nisis auctoribus p. 96 et 97, ubi indicem cognominum Romanorum additis gentibus, in quibus inveniantur, profert, cognomen „Otho“ in gente Salvia inveniri, nihil autem dicit de gente Silvia, quamquam gentem Silviam quoque re vera fuisse perhibet p. 93. — Cfr. Henry Cohen: Médailles Impériales. Paris 1859. 1. Bd. p. 251.

¹¹⁾ Cfr. Sueton. Vita Othonis, c. 1. — Cf. Tacit. Hist. II, 50, qui illi (sc. Othoni) originem fuisse e municipio Ferentino refert. — Quaeritur, utrum Ferentinum in Latio situm an in Tuscia sive Etruria dicat. De Ferentino in Latio sito cfr. Strabo V, 3, 9; Cellarius: Geogr. antiq. libr. II. c. XI. p. 807. Hoc loco Ferentinum in Etruria situm dici apparere videtur ex verbis Suetonii l. c. „Ex principibus Etruriae.“ — Cfr. Plin.: Hist. Natural. III, c. 5. c. 8., qui Ferentinum nominat inter Faesulas et Fescenniam, Etruriae oppida. — Cfr. Strabo V, 2, 9; Cellar. l. l. p. 725.

Etenim M. Salv. Otho, imperatoris Othonis avus, patre usus est equite Romano. Qui quum Liviae Augustae domi primam degisset aetatem, eiusdem opera ac gratia in senatorum numerum lectus et praetoris munere functus est.¹²⁾ Cuius filius L. Salv. Otho, materno genere praeclaro, Tiberii principis familiaris eique similis fuit adeo, ut exstiterint, qui ex eo illum procreatum crederent. Qui quam strenue quantaque severitate urbanis honoribus, proconsulatu Africae, ipsis extraordinariis functus sit imperiis¹³⁾, ex eo colligere licet, quod et senatus statuam eius in Palatio poni iussit¹⁴⁾, et Claudius inter patricios eum allegit verbis hisce: „Vir, quo meliores liberos habere, ne opto quidem.“ Quamquam principis gratia se privatum iri intelligebat, quosdam tamen milites in Illyrico, quod praepositos suos, quasi defectionis adversus Claudium auctores, occiderant, capite multavit haud ignarus, ea ipsa causa illos a Claudio in locos ampliores esse promotos.¹⁵⁾ Sed non multo post in superiorem gratiae locum restitutus est detecta fraude equitis Romani, quem Claudium interficere velle compererat. Secundum acta fratrum Arvalium¹⁶⁾ flamen et frater Arvalis fuit. Ex uxore Albia Terentia, splendida¹⁷⁾ femina, duos procreavit filios, L. Salvium Othonem

¹²⁾ Cfr. Suet. l. c. — Eckhel l. c. V, p. 299.

¹³⁾ Consul narrante Suetonio secutus est Galbam. Suet. Galba c. 6. Galba autem consulatu functus est anno 32 p. Chr. cfr. Clinton: Fasti Rom. I, p. 36. Igitur Otho a. 33 consul suffectus fuit. Cfr. Orelli: Corp. inscript. lat. n. 3127. — Pauly: Realencycl. 6. Bd. I. Abthl. p. 721.

¹⁴⁾ Hunc summum honorem fuisse, patet e Tac. Annal. 15, 72, ubi dicitur: „Tigellinum et Nervam ita extollens, ut super triumphales imagines, apud Palatium quoque effigies eorum sisteret.“

¹⁵⁾ In Dalmatia dux militum secutus est Camillum. Cfr. Tillemont: Histoire des empereurs Rom. II, p. 212.

¹⁶⁾ Cfr. Marini l. c. I, p. 107. — Cfr. Orelli l. l. n. 2266.

¹⁷⁾ Satis certe ex verbo „splendida“ (cfr. Suet. l. l.) coniici videtur, equestri eam ordine ortam, quod hoc ἐπίθετον ipsum significat. Verbum „splendidus“ pro „equestris“ adhibitum esse saepissime, Vellei.

Titianum¹⁸⁾ et M. Salv. Othonem, qui minor natu postmodum imperator factus est.

Ille L. Otho Titianus frater arvalis fuit¹⁹⁾ et consul iterum a. 69 p. Chr.²⁰⁾ Praeter illos filios filiam quoque L. Otho procreasse fertur, quam vixdum nubilem Druso, Germanici filio, desponderit.

Paterculus docet II, 3; — Val. Max. IV, 7, 5. — Sicut splendida militia nihil aliud est, quam equestris militia. Cfr. Becker-Marquardt: Röm. Alterthümer II, p. 282. — Cfr. Tac. H II, 50 „Maternum genus impar, nec tamen indecorum“. Falso igitur Georg. Cedrenus ed. Bekker I, p. 379. Othonem obscuro genere natum refert, et in Ioannis Antiocheni fragm. historic. Graec. apud Müllerum IV, p. 576 legitur: „Ὅτι Ὀθων γένους ἀσκήμου καὶ ἀφανοῦς ὢν.“ Eadem habet Suidas s. v. „Ὀθων“, ubi potius videtur addita negatione legendum „γένους μὴ ἀσκήμου“, quod iam recte admonet Küsterus ad Suidam. Miror, quod Niebuhrius quoque istam sententiam prae se fert. l. I., p. 271. Quod quam falsum sit, facile intelligitur. Etenim praeter Tacitum et Suetonium nostrae sententiae favet Eutropius: Breviarium VII, 11.: „Otho, neutro genere obscuro“, Sext. Aurel. Victor: Epitome c. VII.: „Splendidis ortus maioribus“. Plutarchus: Vita Galbae c. 20: „γένει οὐκ ἀφανής“. E recentioribus nobiscum consentit Tillem. l. I. I². p. 635 ff. Henry Cohen l. I.

¹⁸⁾ Recte Oudendorpius ad h. l. Suetonii conicere videtur, maiorem filium L. Sal. Othonem „Titianum“ appellatum esse a matris suae patre Titio. Sic enim in Sueton. „Vitellio“ Vitellius Petronianus ex patre Vitellio et matre Petronia, c. 6 et in Vesp. c. 3 Flav. Vespasianus ex patre Flavio et matre Vespasia appellatur, quo sequitur illo tempore, quam complures essent liberi, nomina indi iis solita esse ex matribus.

Qua ratione ducti esse videntur, qui imperatori quoque M. S. Othoni addunt „Titiano“, sicut Peter: Zeittafeln d. röm. Gesch. zum Handgebr. cet. p. 209. Mediobarbus: Numismata imper. Roman. p. 103.

¹⁹⁾ Cfr. Marini l. c. I, p. 117, tab. XIV; p. 120, tab. XVI.

²⁰⁾ Cfr. Suet. Otho I. — Tac. Ann. XII, 52. Tac. Agr. 6. — Hist. I. 75, 77, 90, II., 23 ff. Plut. Otho 7 ff. et 13. — Primum consul fuerat a. 805, quo ipso anno Titiani patrem consulatum gessisse nonnulli putant, quam sententiam bene refutavit Pighius: Annales Rom. III, p. 585. — Cfr. Clinton l. c. p. 34.

II.

De Othonis vita inde a primis temporibus aetatis usque ad tempus, quo a Nerone legatus in Lusitaniam missus est.

Marcus Salvius Otho, Romanorum imperator, teste Suetonio natus est IV. Kal. Maias, Furio Camillo Scriboniano, Domitio Aenobarbo coss. a. 32 p. Chr.²¹⁾ Iam inde a primo puero Otho permultis et turpissimis obrutus est vitiis. Omnes enim, qui de eo memoriae tradiderunt, auctores, etsi compluribus locis inter se discrepant, incuriose, petulanter²²⁾ eum adolescentiam degisse consentiunt, ut ea causa et propter permagnam prodigalitem ac luxuriam²³⁾ saepenumero pater

²¹⁾ Suetonius de nomine alterius consulis „Camillo Arruntio“ errat et „Camillo Furio Scriboniano“ legendum est. Sic enim refert Cassius Dio LVIII, 17: „τῶ ἐξῆς ἔπει, ὃ Ἰνάλιος Δομίτιος καὶ Κάμιλλος Σκριβωνιανὸς ὑπάτευσαν.“ — Cfr. Tac. Ann. VI, 1. — Cfr. Georgii Graevii notam in Suetonii Othonem ed. Burmann. II, p. 66. Nostram sententiam confirmat praeterea Pighius: Annal. Rom. III, p. 560, qui consulem Camillum Scribonianum et alium quendam suffectum „Arruntium“, confusos et hanc corruptelam e Fastis in auctorem illatam esse putat, et Onuphrius in „Commentario“ ad libr. II Fastorum, p. 191, qui antiquum epigramma exstare dicit, in quo re vera „F. Camillus Scribonianus“ scriptum invenitur. Cfr. etiam Gruterus: Corp. Inscript. p. CXIII. — Cfr. Marini l. c. p. 84 ad tabulam XII, qui istum errorem hoc modo tollere tentat. Putat enim, pro L. CAMILLI „FUR I CAMILLI“ esse legendum, ut Camillus cognomen, Furius nomen gentile evadat. — Cfr. Clinton l. c. p. 16. Tillem. l. I. I². p. 1116 et notam IV Tillemontii ad Tiberium.

²²⁾ Tac. H. I, 13.

²³⁾ Plut. Galba. c. 19. — Aurel. V. epit. VII.

eum flagris obiurgaret necesse esset. (Cfr. Suet. I. I. c. 2.) Tanta praeterea fuit libidine ac procacitate, ut nocturno ipso tempore non intermitteret, quin vino obrutus nusquam non vagaretur, quâ committere posset scelera quam obscourissima.

Quotiescunque ebrio aliquis obuius fiebat, qui invalidus se ipse defendere non posset, in eum invadebat et distento sago²⁴⁾ in sublime iactabat.²⁵⁾

Num adolescens studiis ac doctrinis operam navaverit, nescimus; attamen dubitari non potest, quin parentibus natus nobilibus disciplinis artibusque eruditus sit iis, quibus pueri eiusmodi generis uti solebant. Patre Othonis mortuo tantum aberat, turpes mores ut corrigeret, ut multo magis quam antea pravissimis se inquinaret flagitiis. Ac mehercle, quâ aliter fieri potuit? Neque enim iam erat, a quo impelleretur, ut cupiditates ac libidines refrenaret. Quae dicta ut affirmem, duarum tantum mentionem facio feminarum, quarum alteram libertinam aulicam, permagna quidem gratia usam in aula Neronis, omni officii genere prosecutus est.

Quae quum annis iam gravis et confecta esset, ab illo eam neglectam esse crederes: imo vero etiam eam diligere simulabat, quo factum est, ut illius opera amicitiam Neronis Otho consequeretur familiarissimam.²⁶⁾ Praeter hanc Poppaea, quam postea in matrimonium duxit, familiarissime usus est non solum explendae cupidinis causa, verum etiam eo consilio, ut ad potentiam ac honores adipiscendos pulchritudine eius captum Neronem sibi conciliaret, summis eius pulchritudinem efferens laudibus.²⁷⁾

²⁴⁾ Cfr. Suet. I. I. c. 2. — De sagatione cognoscere licet ex Martialis epigr. I. 3. „ibis ab excusso missus in astra sago.“ Cfr. de sagatione illa Casauboni notam ad h. l.

²⁵⁾ Cfr. Suet. I. I. c. 2.

²⁶⁾ Suet. I. c.

²⁷⁾ Cfr. Carl Peter: Gesch. Roms im 3. Bd. Halle 1867. Cfr. Bd. III. p. 303.

Non igitur est, cur mireris, quod tantopere eam Nero postmodum dilexerit. Quid ita? Quia excepta animi honestate qualitates habebat cunctas, quae mulierem amabilem reddere queant. Nata enim est familia nobili, patre T. Ollio²⁸⁾, pulcherrima matre, ut suae aetatis feminas pulchritudine antecelleret, a qua gloriam ac formam illa acceperat.²⁹⁾

Neque vero solum nobili erat loco orta, sed etiam opes suppeditabant tantae, quantae generis claritudini³⁰⁾ conveniebant. „Sermo comis, inquit Tacitus, nec absurdum ingenium. Famae nunquam pepercit, maritos et adulteros non distinguens, unde utilitas ostenderetur, illuc libidinem transferebat.“³¹⁾ Quamquam teste Tacito nupta erat Rufio Crispino, equiti Romano³²⁾, adulteratam se ab Othone in matrimonium duci passa est.³³⁾

²⁸⁾ Si Tacitus Ann. 13, 45 refert, T. Ollium honoribus nondum functum perversum esse Seiani amicitia, eum vel honores angustiore sensu curules s. maiores dixisse putem. Dissentit enim cum Suetonio: Nero 35, qui illam a quaestorio patre natam perhibet.

²⁹⁾ Cfr. C. Dionis LXI. 11 ff.

³⁰⁾ Cfr. Tac. Ann. 13, 45.

³¹⁾ Tac. Ann. 13, 45.

³²⁾ Wietersheimius: Gesch. d. Völkerwanderung. Bd. I. p. 148 contra Taciti auctoritatem Othonem coniugem fuisse primum, cui Poppaea nupsit, dicit.

Hoc loco, quamvis sit praeclarus acrique ingenio praestans, eum errare, satis apparet. Cur enim Tacito, luculentissimo illi auctori, fidem non tribuamus, quippe cui nec antiquorum scriptorum quisquam in hac re repugnet nec Wietersheimius causas, quibus commotus rem mutatam referat, addat? Consentiant potius cum Tacito Plutarchus: Galba 19. et Suetonius I. c. 3. „Sabinam, abductam marito, recepit.“ C. Dio I. l.

³³⁾ Hoc loco Tacitum, qui res plerumque verissime tradat, reprehendam oportet, quod sibi ipsi minime constat. Narrat enim rem diverse in Hist. I. 13 sic: „eo (sc. apud Othonem) Poppaeam Sabinam, principale scortum, ut apud conscium libidinum, deposuerat, donec Octaviam uxorem amoliretur.“ Consentiant Cassius Dio 61, 11. „τούτω (sc. τῷ Ὀθωνί) τὴν Σαβίναν, ἐξ εὐπατριῶν οὖσαν, ἔδωκε καὶ αὐτῇ ἀμφοτέρωι ἄμα ἔχρω̄ντο“, et Plutarchus: G. c. 19.

Hanc igitur Poppaeam Sabinam Nero postmodum reapse in matrimonium duxit³⁴⁾, nec beatior sors ei evenit, quam

Attamen videtur verius rem retulisse Tacitus in Ann. 13, 45 ita: Agentem eam in matrimonio Rufii Crispini, equitis Romani, ex quo filium genuisset, ab Othone pellectam, nec moram fuisse, quin adulterio matrimonium adiungeret. Paulo post laudes formae elegantiaeque uxoris, a novo coniuge saepius apud principem laudatas, prius ad videndam eam, inde ad amandam hunc accendisse. Tacito, gravissimo illius aetatis scriptori, cur fidem non attribuamus, causa non inveniatur. (Cfr. Bernhardy: Lat. Litgesch. p. 689 ff.) Quaeritur, utrum res verisimilior sit narrata in Hist. I. 13, an in Ann. 13, 45. Equidem fidem attribuere malim narrationi in Annalibus factae idque quidem compluribus commotus rationibus. Prima causa petitur ex eo, quod Otho, qui familiarissime semper cum Nerone vixerat, familiaritate privatus per causam legationis in Lusitaniam sepositus est. Cfr. Suet. I. c. Quin etiam maximum Othoni fuit periculum, ne morte afficeretur, et Plutarchus diserte addit (l. c. 19), mirum fuisse, quod, quum Nero ipsam interfecisset uxorem, Othonem non eadem poena affecisset. Cur vero Othoni tantopere iratus sit, expressis verbis causam fuisse Suetonius dicit, quod Otho rivalem Neronem aequo animo non tulisset quocum Plutarchus consentiens addit, Senecam, cuius familiaritate Otho usus sit, ut vita relicta legatus in Lusitaniam tamquam honestum exiliun., missus sit, effecisse.

Non igitur C. Dioni, non Plutarcho, non ipsi Tacito res ita credenda videtur, ut in Hist. (l. c.) tradit, quod Neronem non prohibitum esse verisimile est, quominus Sabinam, ubi primum ei placuit, in matrimonium duceret, si revera eam apud Othonem „principale scortum“ deposuisset.

Probatur haec opinio eo quoque, quod Otho missus a Nerone ad Poppaeam arcessendam non recepit, sed ipsum Neronem pro foribus stantem poscentemque aditum, exclusit repudiavitque. Cfr. Suet. I. I. 3. — Plut. G. I. c.

Ne obicias, ita res si se haberet, Othonem pulchritudinem uxoris apud principem non laudasse concludendum esse. Addit enim Tacitus (Ann. I. c.) incaute illum id egisse laudasseque illam completum cibis vinoque obrutum. Nonne inde facillime fieri potuit, ut e convivio consurgens obnoxia sibi Otho ageret?

Iam ea denique res opinio nostra ut verisimilior videatur, efficit, quod Tacitus annales, quae dicuntur, serius quam historias (cfr. Bernhardy I. c. p. 690), et res diversas ab historiis interdum ac verius con-

ceteris illius uxoribus.³⁵⁾ Etenim quum ab aurigatione sero redisset Nero, ira inflammatus gravidam calcis ictu occidit.³⁶⁾ Praeter hanc rem propter aemulationem luxus³⁷⁾ ac morum congruentiam familiarissime³⁸⁾ Othone Nero usus est.³⁹⁾ Quibus causis omnibus et ipsa consuetudine mutui stupri permagni inter amicos a Nerone aestimabatur neque iam est, quod mireris, apud illum eum potentia valuisse tantum tantaque esse usum liberalitate, ut repetundarum⁴⁰⁾ quendam damnatum permagno praemio pacto ad agendas gratias in senatum introducere ei liceret, antequam restitutio illi impetrata esset.⁴¹⁾

Hoc loco non praetereundum censeo, quod Plutarchus narrat, quo perspicuum esse videtur, quam familiariter cum Nerone Otho egerit quantaque impune usus sit licentia. Quum enim aliquando Nero unguento eo, quo ipse esset unctus, Othonem adpersisset, hunc postridie, dum Neronem amice exciperet, fistulas aureas et argenteas hic et illic proposuisse, ut, quasi aquam, magna vi unguentum effunderent.⁴²⁾

scripsit Cfr. Rudorff: Rhein. Mus. II. p. 291. ed. Niebuhr et Brandis. Cfr. Bernhardy I. c. 699, Anmerk. 507. — Haec nostra opinio confirmatur Livii ista sententia: „Ego contra hoc quoque laboris praemium petam, ut me a conspectu malorum, quae nostra tot per annos vidit actas, tantisper certe, dum prisca illa tota mente repeto, avertam, omnis expertis curae, quae scribentis animum etsi non flectere a vero, sollicitum tamen efficere posset.“ Cfr. Liv. praef.

³⁴⁾ Cfr. Suet. Nero c. 35. — Ioannis Antiocheni fragmt. apud Müllerum p. 575. — Cfr. Marini I. c. tab. 17. p. 122.

³⁵⁾ Suet. I. I. — Cfr. Ioannis Ant. fragmt. I. c.

³⁶⁾ Cfr. Tac. Ann. 16, 6. — C. Dio 62, 27. Cfr. Zon. Annales XI. 12.

³⁷⁾ Cfr. Tac. H. I. 13.

³⁸⁾ Cfr. Tac. Ann. 13, 46.

³⁹⁾ Cfr. C. Dio 61, 11.

⁴⁰⁾ Repetundarum accusati lege Iulia superioribus legibus de hac re latis severiore deieci sunt rei ordine et iudices statuti ad litem aestimandam. Cfr. Sigon. De Iudiciis 2, 27. — Heineccius: Antiqq. Rom. 4, 18.

⁴¹⁾ Cfr. Suet. I. I.

⁴²⁾ Plut. G. 19.

Quamvis autem Neronis familiaritate uteretur⁴³⁾, ut omnium consiliorum esset particeps⁴⁴⁾, Roma eum remove re Nero constituit, ubi illius uxorem in matrimonium ducere voluit.⁴⁵⁾ Itaque diducto matrimonio eum legatum in Lusitaniam⁴⁶⁾ misit a.⁴⁷⁾ 58 p. Chr.⁴⁸⁾

Othonem vero se ipsum non tam honoris quam removendi in exilium causa in Lusitaniam mitti haud ignorasse ex eius verbis dilucide apparet his: „praegravem se Neroni fuisse, nec Lusitaniam rursus et alterius exilii honorem exspectandum.“⁴⁹⁾

III.

Otho Galbae partibus accessit, certo fore sperans,
ut ab eo adoptaretur.

Excepta Baetica in reliquam Hispaniam legati non mittebantur, nisi ii, qui praetoris vel consulis munere functi erant.⁵⁰⁾ Attamen Othoni, qui quaestor tantum fuerat, ad-

⁴³⁾ Ioann. Ant. l. I. p. 575.

⁴⁴⁾ Cfr. Suet. l. c.

⁴⁵⁾ Eam in matrimonium duxit a. 815. Cfr. Clint. l. c. p. 44.

⁴⁶⁾ Lusitania in Hispania sita Caesaris erat provincia, in quam praetorius cum uno legato mittebatur. Strabo III. 166. — Tac. Ann. 4, 5. — C. Dio LIII, 13, 13, qui Baeticam senatui assignat, Tarraconensem et Lusitaniam Caesari. Cfr. Appian.: De rebus Hisp. c. 3. falso assignat senatui duas provincias. Cfr. Rosini: Antiq. Rom. libr. VII. p. 380 ff.

⁴⁷⁾ Ita exilio tamquam honesto multatus est, quae honoris species saepe adhibita est. Cfr. Suet. Iul. Caes.

⁴⁸⁾ Cfr. Clint. l. I. p. 40.

⁴⁹⁾ Cfr. Tac. H. I, 21.

⁵⁰⁾ Cfr. Strabo l. c. et XVII. p. 840.

ministrandae provinciae munus honorificentissimum traditum est. Nonne hoc quoque luculentum testimonium existit amicitiae Neronis erga Othonem maximae?⁵¹⁾ An admirandum non videtur, Neronem crudelitate maxima uxorem ipsam, ut in matrimonium ducere posset Poppaeam, necasse⁵²⁾, pepercisse in eadem fere re Othoni? Vidimus adhuc in Othone nullas fere qualitates nisi detestandas maxime. Eo laetiores in medium proferamus licet, eum a priori vitae consuetudine valde abhorrentem decem per annos moderatione atque abstinentia singulari vitam egisse, praebuisse se tam mitem ac comem provincialibus, ut tanto gloria cresceret, quanto antea Romae eam minuerat.⁵³⁾ Quod quomodo tam celeriter factum sit, si quaerimus, quaestio non subdifficilis videtur, quum Otho, qui ultionis occasionem et Romanorum se utique imperium sperabat nacturum⁵⁴⁾, sperata non expleri intelligeret, nisi comem ac benevolum se gereret sibi conciliaret omnium et imprimis militum animos. Quae spes, quam non eum falleret, postea intellectum est. Eo enim tempore alteram Caesaris partem Tarraconensem Galba administrandam a Nerone acceperat.⁵⁵⁾

Qui nobili loco⁵⁶⁾ natus est M. Valerio Messala, Cn. Lentulo coss. VIII Kal. Ian. Postquam provinciae Aquitaniae praefuit, consulatum ordinarium per sex menses gessit a. 33 p. Chr.⁵⁷⁾ Deinde propter permagnam severitatem

⁵¹⁾ Aur. Vict. Caes. c. VII.

⁵²⁾ Ne parricidiis quidem eum abstinnisse testatur Orosius. VII, 7, p. 472 ed. Haverkamp.

⁵³⁾ Cfr. Tac. Ann. l. I. et Hist. I. 13. Cfr. Plut. Galba c. 20.

⁵⁴⁾ Suet. l. I. — Tac. l. I.

⁵⁵⁾ Cfr. Suet. G. 9. — Plut. G. 3. Galba illud imperium adiit a. 61. p. Chr. Cfr. Clint. l. c. p. 42. Pigh. l. c. III. p. 595. Plut. G. 4.

⁵⁶⁾ Cfr. Cicero: Pro lege Manil. c. 20. De Galbae anno natali cfr. Boeving l. I. p. 7. Nota 6.

⁵⁷⁾ Cfr. Orelli: Corp. inscript. III. nro. 5415 et Borghesi: Ann. Inst. 1848. p. 268.

ac iustitiam dignus visus est, qui Africam, dissensionibus intestinis haud quietam, ordinandam obtineret. Quo munere quia excellenter erat functus⁵⁸⁾ et antea in Germania res praeclare gesserat, ornamenta triumphalia accepit. Neque vero eadem fama ac gloria, qua Africam, provinciam Tarracensem administravit. Primo enim ibi delicta coercuisse, deinde vero in desidiam et crudelitatem conversus esse et adhortante Vindice novis rebus studuisse dicitur.⁵⁹⁾ Imprimis autem auspiciis et omnibus felicissimis ad spem imperii Romani capiendam incitabatur. Accessit, quod certior factus erat, Neronem, qui maxime timebat, ne a Galba imperio privaretur, ad se interficiendum quosdam clam misisse.⁶⁰⁾ Itaque factum est, ut magis magisque Nero infensus Galbae fieret eumque trucidare Galba studeret. Num igitur mirandum videtur, quod Otho illius partibus accessit? At memineris quaeso, Othonem, sicuti iam supra adnotavimus, ab uxore Poppaea vi ac necessitate coactum esse divulgum. Coniicere igitur licet, eum memorem familiaritatis a Nerone tam foede ruptae, ut ab eo poenas repeteret gravissimas, summam operam dedisse. Maximi vero in hac re momenti est, quod ipse fore spem ceperat, ut a Galba adoptaretur⁶¹⁾ et quod rerum statu perditissimo quivis fere imperium (quod deinde dilucide apparuit) nancisci poterat, qui callido et audaci animo milites, quibus potestas tum erat vel dedendi vel adimendi imperii, sibi faciles reddidit. Adde denique, quod mathematici, qui nominantur⁶²⁾, ei persuadere conabantur, se illi annum insequentem praeclarum fore siderum observatione cognovisse.

⁵⁸⁾ Cfr. Plut. G. 3. — ⁵⁹⁾ Cfr. Frgmt. Antioch. I. c. p. 576.

⁶⁰⁾ Suet. G. 2. 10.

⁶¹⁾ Tac. H. I. 13. — Suet. Otho 5.

⁶²⁾ Plutarchus I. c. 23. istos homines Chaldaeos appellat. Eisdem esse verisimile est, qui Tac. Ann. XII, 52 et II. 27 inveniuntur. Cfr. Gellius: N. Atticae I. 9. „Vulgus, quos gentilitio vocabulo Chaldaeos dicere oportet, mathematicos dicit.“

Quin etiam ex eo numero quidam, quem Tacitus (H. I. 21) et Plutarchus (Galba 23.) Ptolemaeum vocant⁶³⁾, ei praenuntiavit, ipsum quidam non necaturum Neronem, superstitem tamen illi quondam populo Romano imperaturum esse. Hisce quidem hominibus, qui utilitatis ac lucri causa alios destituebant, Otho fidem habebat maximam⁶⁴⁾, qui ei tam praeclaram ac iucundam rem praesagirent.

Quia igitur Otho persuasum habuit se aliquando Romanorum imperium nacturum esse eaque causa nihil antiquius habuit, quam ut a Galba adoptaretur, omni in re facillimum atque amicissimum se illi praestitit, quo illi quam gratissimus fieret. Neque enim solum in rebus publicis ei favebat, verum etiam in privatis cum officiis prosecutus est tantis, quantis maximis fieri potuit et alius in alius amicitiam se insinuare solet. Pocula, mensae, vasa et aurea et argentea, quaecumque ei erant, Galbae fere donavit, quibus uteretur ad signandos nummos neque praetermisit, quin ei servos daret, qui coenantem administrarent principem. Deinde facilitate ac sollertia valuit, ut lectica eadem qua ille complures dies veheretur.⁶⁵⁾

⁶³⁾ De nomine huius mathematici rerum scriptores inter se discrepant. Etenim eum, qui hoc Othoni praedixerit, Suetonius Seleucum vocat. (Suet. Otho c. 4.) Nonnulli viri docti putant, Suetonium hunc mathematicum confudisse eum eo, quem Tacitus et Plutarchus nominet. Duplex nomen illi fuisse non putaverim. Quam ob rem ita res diiudicanda videtur. Duos mathematicos, quorum alteri Ptolemaeo, alteri Seleuco nomen fuerit, illo tempore vixisse, ex eo colligere possis, quod Tacitus bene distinxit inter Ptolemaeum et Seleucum, quum hunc in Hist. II. 78 Vespasiani mathematicum dicat. Uterque vero praeclaram, ut opinor, famam divinationis prae se ferebat, unde factum videtur, ut rem, quam aliquem mathematicum Othoni praesagisse compererant, Tacitus ad Ptolemaeum, ad Seleucum Suetonius referret. Eundem Iuvenalis intellexisse videtur in Sat. VI. 557, ad quem locum Heinrichus adnotat „Ein Seleucus, nach anderen Ptolemäus.“ Cfr. C. Fr. Heinrich Commentar zu Iuvenals Satiren. Note 558.

⁶⁴⁾ Cfr. Becker: Röm. Alterth. IV. Theil. p. 102.

⁶⁵⁾ Cfr. Plut. G. 20.

Neque vero minus nonnullos alios Galbae amicos in causam suam ut produceret quum blandiendo tum donando, operam navavit. Ex his T. Vinio imprimis amico usus est, qui ex illorum trium numero fuisse traditur, quorum arbitrio Galba regebatur.⁶⁶⁾

Dixi de Galbae eiusque familiarium, qua usus sit Otho, amicitia. Quid milites? Nonne eorum gratiam conciliare illum imprimis necesse erat, quippe quorum in manibus omnis fere imperii spes Othonis niteretur? Itaque iis praecipue eum se affabilem⁶⁷⁾, benignum, comem praebuisse legimus. Quotiescunque cum iis iter faciebat, vetustissimum quemque nomine vocabat, donabat eos pecunia iuvitque gratia. Eo benevolentiae provectus est, ut Cocceio Proculo speculatori, cui lis erat cum vicino de finium parte, totum agrum sua pecunia emptum restitueret.⁶⁸⁾

Nec praeterea Galba ab eo ad coenam invitabatur, quin cohortem excubantem largitionibus condonaret et viritim aureos divideret.⁶⁹⁾ Cur vero Galbam imperatorem tam enixe amicum sibi facere studuerit, facile est ad intelligendum. Ille enim, quum provecta esset aetate, iam dudum de successione vel potius de adoptione cogitavit et Otho fore sperabat, ut ab eo successor eligeretur idque quidem eo magis, quod Galbae, militum ceterorumque hominum amicitia utebatur, vix ut ullus inveniretur, qui non eum solum successione dignissimum

⁶⁶⁾ Cfr. Aur. V. 6. — Suet. G. 14. — Tac. H. I. 13. Cfr. de his tribus Plut. G. 7, 10, 12. — Tac. H. I. 6 et I. 26. Ex eo factum est, ut Galbae imperium, etsi natura moderate regebat, invisum admodum esset. Cfr. C. Dio 64, 2.

⁶⁷⁾ Cfr. Tac. H. I. 23.

⁶⁸⁾ Tac. I. c. 24.

⁶⁹⁾ Cfr. Tac. H. I. 24. „qui centenos nummos dicit, quod idem valet ac aureus.“ Cfr. Becker R. A. III. Thl. 2. Abthl. p. 17. — Valet autem aureus 6 Thlr. 10 $\frac{1}{2}$ Sgr. Cfr. Becker I. c. p. 34 et Mommsen: Gesch. des röm. Münzwesens, p. 753. — Cfr. Plut. G. 20. Hunc morem donandi milites primum instituisse videtur imperator Claudius. Cfr. C. Dio 60, 3.

diceret.⁷⁰⁾ Sed tamen res eum fefellit. Quum enim paucis diebus post Kal. Ian. e Belgica nunciatum esset⁷¹⁾, superioris Germaniae legiones rupto sacramento alium flagitare imperatorem, Galba nihil antiquius habuit, quam ut statim adoptione declararet successorem, ita facillime seditionis finem fieri ratus, quia ipse compluribus causis, quas infra fusius pertractabimus, et civibus et militibus maxime infensus erat.⁷²⁾

Quem successione dignissimum sibi eligeret, iam dudum secum deliberaverat. Qua in re maxima fuit vis Titi Vinii, qui summam navabat operam, ut Othonem in appetenda adoptione adjuvaret, neque mero consilio, sed quod filiam suam viduam illum in matrimonium ducturum putabat.⁷³⁾ Quamvis autem ille apud Galbam gratia valeret, alii ex tribus illis, Cornelius Laco et Icelus, qui pari fere familiaritatis vinculo cum Galba erant coniuncti, ut pro Othone Piso Frugi Licinianus⁷⁴⁾ adoptaretur, effecerunt. Fuit Piso teste Tacito M. Crasso et Scribonia, nobili loco ortus, moribus antiquis excellens apud nonnullos severus, apud alios, deterius interpretantes, tristior habitus est.⁷⁵⁾

Quartum igitur Idus Ian. Pisonem se velle adoptare Galba pronunciat.⁷⁶⁾ Cur Otho voti compos factus non sit,

⁷⁰⁾ Suet. I. I. 4 extr. — Tac. H. I. 12. — Suet. G. 16. — Plut. G. 22.

⁷¹⁾ Haec divisio inferioris et superioris Germaniae tam solennis et usitata fuit, ut a Tacito H. I. LV. superior exercitus dicatur pro exercitu superioris Germaniae, quod idem reperitur in Suet. Vita Vitellii c. 8. et in Domitiano c. 6. — Cfr. Schoepflinus: Alsatiae illustratae tom. I. p. 147.

⁷²⁾ Tac. H. I. 4 ff. — ⁷³⁾ Cfr. Tac. H. I. 13. — Plut. G. 21.

⁷⁴⁾ Cedrenus ed. Iman. Bekker falso eum Lucium vocat. Cfr. Cedren. I. p. 379.

⁷⁵⁾ Cfr. Tac. H. I. 14. Plut. G. 23. Cfr. C. Dio 64, 5. Cfr. Zon. XI. 14. — Suet. G. 17. Cfr. De Pisone Boeving I. c. p. 36 ff.

⁷⁶⁾ Cfr. Tac. II. I. 18; Plut. G. 23. Cuius adoptionis monumentum illustre servatum est in Actis Fr. Arv. ed. Marini. tab. XX. p. 128. „Isdem. Cos. III. IDVS. Ian. magister IO. SERvii. GALBAE IMP. . . . NO. COLLEG. FRATRum. Arvalium. nomine. vota. nuncupavit. pro. ad. OPTIONE. Pisonis. Liciniani.“

si quaeritur, Tacitus sententiam valde probabilem in medium protulisse videtur, Galbam reipublicae providisse, ne imperium a Nerone frustra ademptum esset, si Otho assequeretur, qui iuventutem quam obscoenissimis inquinasset vitiis. Quam opinionem Plutarchus plane confirmat, quippe qui illum semper prae se tulisse tradat, anteferre se reipublicae salutem privatis suis rationibus neque quaesivisse sibi acceptissimum sed utilissimum populo Romano.⁷⁷⁾ Adde causas, quas ipse se ad Pisonem adoptandum impulisse Galba indicat praeclara illa oratione, quam Tacitus eum habentem facit⁷⁸⁾: „Nunc me Deorum hominumque consensu ad imperium vocatum praeclara indoles tua et amor patriae impulit, ut principatum.... offeram, exemplo divi Augusti.... Sed Augustus in domo successorem quaesivit, ego in republica, non quia propinquos aut socios belli non habeam, sed neque ipse imperium ambitione accepi, et iudicii mei documentum sint non meae tantum necessitudines, quas tibi postposui, nisi tu potior esses. Ea aetas tua, quae cupiditates adolescentiae iam effugerit; ea vita, in qua nihil praeteritum excusandum habeas.“

Ita adoptionis spe praeter opinionem privatus maxima ira inflammatus non iam blandiendo sed adhibenda vi conatus perficere Otho studuit.⁷⁹⁾ Neque vero solum animi dolor et ira eum irritabant, sed etiam aes alienum, quo fere demersus est, quod aliter fieri non poterat, quoniam tam fuse condonarat milites. Inopiam vix privato tolerandam eum exstimulasse Tacitus memorat.⁸⁰⁾ Quanta pecuniae inopia, quam iniqua conditio fuerit, quam vehementer eum omnino rerum status perditissimi poenituerit, satis percipi potest ex eius verbis, quae leguntur apud Suetonium⁸¹⁾: „nisi principem

⁷⁷⁾ Plut. G. 21.

⁷⁸⁾ Tac. H. I. 15 et 16.

⁷⁹⁾ Suet. Otho 5.

⁸⁰⁾ Tac. I. c. 21. — Plut. I. c. 21.

⁸¹⁾ Suet. I. c.

se stare non posse: nihilque referre, ab hoste in acie, an in foro sub creditoribus caderet.“

Videmus igitur, Othonem extemplo, postquam se adoptari frustra expectavit⁸²⁾, imperii occupandi consilium cepisse, quamquam neminem effugere potest, id iam inde ab eo tempore, quo in Lusitaniam missus Galbae partibus favit, animo agitasse. Ad hoc propositum peragendum quamlibet occasionem non amittendam putavit, quoniam commutationes rerum ad magnos conatus aptissimae essent.⁸³⁾

Praeter has dominandi causas modo allatas gloria quoque valde trahebatur. Namque mortem, natura omnibus aequam, oblivione apud posteros, vel gloria distingui, prae se tulit.⁸⁴⁾ At eratne ei re vera imperii certa spes?

Quod quo fusius clariusque explicetur, ab Othone animum parumper avertamus et ad Galbam eiusque milites recurratur necesse est.

IV.

De causis quibus potissimum Galba imperio privatus sit.

Galba, quamquam multa egregii principis documenta praestiterat⁸⁵⁾, „maiore tamen favore et auctoritate accepit, quam gessit imperium.“

⁸²⁾ Cfr. Aur. Victor: Caes. VI

⁸³⁾ Tac. H. I. 21.

⁸⁴⁾ Tac. I. 1.

⁸⁵⁾ Ad ea pertinent supplicia Neronianorum, de quibus cfr. Plut. G. 17. — Cass. Dio 61, 3; Zon. XI, 14. — Crevier: Hist. des emper. Rom. V. p. 85. Cfr. Boeing I. I. p. 44 ff.

Nonnullos claros viros nullam suspicionis causam praebentes inauditos condemnavit necarique iussit.⁸⁶⁾ Tantum aberat, ut civibus benignum se praeberet, ut rarissimo civitatem daret, qua re universi populi animos in dies sibi offensiores reddidit.⁸⁷⁾ Quae quum ita essent, aliae quoque res minimi momenti, ut assolet, in invidiam eum induxerunt.⁸⁸⁾ Ipsa aetas maxime provecta irrisui ac fastidio teste Tacito fuit. Ita quum iam in omnium fere odium venisset maximum, unum accessit, quod lignis undique, ut hac imagine utar, collatis, ignem subiiceret. Etenim milites spes facta solito grandius donativum se nacturos, fefellit⁸⁹⁾, quare factum est, ut Galba magis magisque militum animos incenderet dictitans: „legi a se milites, non emi.“⁹⁰⁾

Ecce ergo causa, cur imprimis superioris Germaniae milites primi ausi sint, Kalendis Ian., postquam sacramentum dicere iussi sunt, id recusare nisi in nomen populi Romani, qui quidem a Gallis victoriam se reportasse neque praemia tanto labori debita nactos esse dicerent.⁹¹⁾ Neque vero solum Galbae conviciabantur sed etiam statim legationem cum mandatis ad praetorianos miserunt: „displicere imperatorem in Hispania factum: eligerent ipsi, quem cuncti exercitus comprobarent.“ Deinde nonnullos Galbae ipsas imagines deiecisse ac lacerasse Plutarchus refert.⁹²⁾ Eodem fere tempore inferioris quoque Germaniae milites, etsi instituta die ad sacramentum pro Galba dicendum adigebantur, quam infensi illi

⁸⁶⁾ Tac. H. I. 6. — Suet. I. c. — Plut. G. 15.

⁸⁷⁾ Suet. G. 15 ff. — Aurel. V. I. c. — C. Dio 64, 2.

⁸⁸⁾ Cfr. Tac. I. I. „et invito semel principe seu bene seu male facta premunt.“

⁸⁹⁾ Plut. G. 18 — Tac. I. c. I. 5.

⁹⁰⁾ Cfr. Suet. G. 15. 16; Tac. H. I. 5; Plut. G. 18. — Imperatoribus, si imperium inibant, mos erat, ut milites liberalissime donarent. Cfr. Becker I. c. 3. Thl. 2. Abthl. p. 438 et 439.

⁹¹⁾ Suet. G. 16. — Tac. H. I. 8 et 9. 12. 50. — C. Dio 64, 4.

⁹²⁾ Plut. G. 22.

fuertint quamque novi imperatoris cupidi, ex eo colligi potest, quod multa cunctatione et raris primorum ordinum vocibus iurarunt et nonnulli etiam saxa in Galbae imagines iecerunt.⁹³⁾

V.

Otho Galbam interficit et imperator renunciatur.

Ut igitur quam celerrime Galbae interficiendi consilium, quod certe iam eo die, quo Piso adoptatus erat, ceperat, efficeret, summam operam dedit neque milites donare destitit, quin etiam alios, imprimis Barbium Proculum tesserarium speculatorem⁹⁴⁾ et Veturium optionem Onomasti opera pecunia corruptos audacesque natura ad pertemptandos conturbandosque complurium animos irritat. Quanto iure supra dictum sit, tum in potestate militum imperatorum positam esse salutem, Tacitus enucleate exprimit verbis his: „Suscepere duo manipulares imperium populi Romani transferendum, et transferunt.“ Ex libertis quendam, nomine Onomastum, qui futurum scelus susciperet, elegit.⁹⁵⁾

⁹³⁾ Tac. H. I. 55. — Quam luculentum defectionis hoc signum apud milites fuerit, ut intelligatur, cfr. Tac. H. III. 12, ubi idem identidem in tali re factum invenietur.

⁹⁴⁾ Speculatores erant ex praetoriis cohortibus satellites principis; arma iis erant clipeus et lancea. Cfr. Flav. Ios.: Bellum Iud. I. 3. 6. Ibidem c. 8. eos vocat „λογχοφόρους.“ Cfr. Suet. Claud. 35. Frequenter nominantur in Inscrpt. apud Gruterum 540, 10. Cfr. Eckhel: D. Numm. VI. p. 53.

⁹⁵⁾ Auctore Suetonio c. 5. quinque speculatoribus res commissa est, cui numero numerus Taciti, quem dicit, non congruere videtur. Sed haec dissensio sic diiudicanda videtur. Tacitus hoc loco primos in conscientiam ascitos tantum nominat, qui alios allicere ab Othone iussi erant. (Tac. H. I. 25.) — Item fere Plutarchus rem tradit, qui, quamquam plerosque

Quamquam statim post Pisonis adoptionem ira inflammatus castra occupare coenantemque in palatio Galbam interficere constituerat, compluribus a Suetonio causis allatis ab hoc consilio destitit et in aliud tempus differebat. Primum quidem timebat, ne cohors, quae tunc excubabat, invidia oneraretur, quoniam in eiusdem statione et Caius occisus, et desertus Nero erat. Deinde medium tempus religio⁹⁶⁾ et Seleucus ille exemit;⁹⁷⁾ denique teste Plutarcho hosce per dies totum exercitum ut ad defectionem impelleret, maximam operam navabat.

Ad quod efficiendum pecuniam, qua uteretur oportebat, paucis diebus ante sibi comparaverat. Decies enim sestertium a Caesaris quodam servo pro impetrata dispensatione expresserat.⁹⁸⁾ Quam rem, etsi excepto Suetonio apud nullum veterum scriptorum, quod sciam, reperitur, quod addubitemus, non est, quum vix privato toleranda paupertate illum oppressum esse Tacitus tradat. (H. I, 21.) Priusquam igitur ad ipsam caedem perficiendam aggrediretur, socios praestituta die, ut se in foro ad milliarium aureum opperirentur,

ex Tigellini et Nymphidii familiaribus, honoribus privatos, Othoni se venditasse refert, sicut Tacitus, tres illos tantum nominatim dicit. Neque vero quinque amplius primo fuisse, quibus res sit mandata, ex eo satis certe coniciatur, quod paucos admodum in conscientiam ascitos esse Tacitus addit. Cfr. Plut. G. 23. Cfr. ibid. 24.

⁹⁶⁾ Religio, quam dicit, est quaedam traditio, qua certis diebus negotia incipere vetabantur. Necessae erat iis diebus favere linguis, caedibus abstinere. Tales dies illud medium tempus fuisse recte concludatur.

⁹⁷⁾ Medium hoc tempus dicit illos dies sex, quos intercessisse inde ab Pisonis adoptione ad caedem Galbae Plutarchus narrat. (Galb. 24.) Quodsi hoc loco dicit: „ὅδ' γὰρ ἡ ἡμερῶν τεσσάρων ἔργον ὑγιαίνοντος στρατοπέδου, ὅσαι μεταξὺ τῆς εἰσπονήσεως ἐγένοντο καὶ τῆς σφαγῆς“, verba „ἡμερῶν τεσσάρων“ ita sunt interpretanda, ut more Romanorum adoptionis et caedis dies annumerentur. Hoc enim liquet ex iis, quae sequuntur: „ἔκτε γὰρ ἀνηρέθησαν.“ Casaubonum igitur in errorem incidisse nemo non videt, qui ad h. l. in Suetonii Galba dicit: „Plutarchus aliter numerat, et quartum diem appellat.“

⁹⁸⁾ Suet. Otho. 5.

admonuit. Ipse octavo decimo Kal. Febr. mane Galbam salutatum contendit et, sicut assueverat, osculatus est. Dum Galba sacrificat⁹⁹⁾, haruspex Umbricius fex extis tristissimas res, insidias instantes, domesticum hostem, ex insidiis discrimen cervici imperatoris impendens, praesagivit.¹⁰⁰⁾ Facere hoc loco non possum, quin commoneam, quam abiectus quamque simulationis artificii eruditus Otho fuerit, cui quam primum hostiliter necare in animo esset, quem amice paulo ante osculatus erat. Namque mox Onomastus, cuius supra mentionem feci, nuntium affert, Othonem domum reverti necesse esse, ubi ab architecto expectaretur. Causam cedendi quaerentibus respondit, se veterem domum emisse eamque velle inspicere. Hoc signum inter Othonem eiusque amicos Galbae necandi convenerat.¹⁰¹⁾

Quum liberto innixus ad velabrum¹⁰²⁾, inde ad milliarium aureum¹⁰³⁾ advenisset, non plus viginti tres speculatores congregatos, qui se imperatorem consalutarent, videns, parvo numero obtorpuisset; trepidam autem statim in sella positum districtis gladiis rapiunt. Eodem fere modo rem Suetonius refert: „Tunc abditus prope muliebri sella, in castra contendit: ac deficientibus lecticariis, quum descendisset cursumque cepisset, laxato calceo restitit, donec omissa mora succolatus et a praesenti comitatu „imperator“ consalutatus¹⁰⁴⁾, inter

⁹⁹⁾ Quam carus Otho minimeque suspiciosus Galbae fuerit, ex Dionis verbis intelligitur: „καὶ οὕτως ὑπὸ αὐτοῦ ἐτιμάτο, ὥστε καὶ ἐν ἐκείνῃ τῇ ἡμέρᾳ, ἐν ἣ ἀπέθανε, θύοντι αὐτῷ μόνος τῶν βουλευτῶν παρέστη.“

¹⁰⁰⁾ Tac. I. c. 27. — Zon. XI, 14. — ¹⁰¹⁾ Tac. I. l. — Plut. G. 24.

¹⁰²⁾ Velabrum situm erat inter vicium Tuscum et forum Boarium. Cfr. Becker: R. A. I. p. 490 ff. Nec temere Otho ad velabrum viam aversam a castris praetorianorum primum ingressus est, ne, quo tenderet, statim animadverteretur. Deinde iter flectebat ad milliarium aureum, unde recta via in castra pervenire poterat.

¹⁰³⁾ Cfr. Plut. G. 24. — De milliarium aureo cfr. C Dio 54, 8. — Becker-I. c. I p. 343 ff. — Bunsen: Roms Forum. p. 102

¹⁰⁴⁾ Hoc factum est XVIII. Kal. Febr. cfr. Tac. II. I. 27. a. 69. Cfr. Rudorff. I. c. p. 68 ff

faustas acclamationes ad principia devenit. Quicumque obvii fiebant, re tam admirabili attoniti sunt, ut totidem fere alii occurrentes turbae aggregarentur et „Caesarem“ illum exclamarent. Neque Iulius Martialis tribunus, qui in castris stationem agebat, quominus intraret, Othonem impedire ausus est.¹⁰⁵⁾

Ibi omnium animos et eorum, qui iam antea in Othonis partes transierant, et eorum, qui istius rei erant imperiti, habita oratione sibi conciliat, Galbam severissimum se praebuisse, necesse inauditos nec promissum donativum praestitisse.¹⁰⁶⁾ Quomodocumque poterat, populum benignum sibi reddere studuit. Manus enim protendit, adorat vulgus, oscula iacit nec quicquam turpe putat, quo imperium adipisci possit.¹⁰⁷⁾ Intelligere licet, quam leves quamque instabiles vulgi animi fuerint. Eos enim, qui paulo ante Galbae favissent, extemplo Othonem imperatorem salutasse, maxima laetitia esse elatos, unanimi rerum scriptores ante oculos ponunt. Complures praetorianorum tribuni in castra pergunt, et legio classica sine ulla cunctatione praetorianis adiungitur.¹⁰⁸⁾ Otho, ut audivit, Galbae iussu plerosque contra se armari, quam ut periculum occuparetur trucidareturque Galba, nihil antiquius habuit. Signo dato milites ex Othonianis erumpunt et Othonem Galbae caede a metu liberant.¹⁰⁹⁾

Galbae capite allato teste Plutarcho Otho exclamavit: „Hoc nihil est, commilitones, Pisonis mihi caput ostendite.“

¹⁰⁵⁾ Plut. G. 25.

¹⁰⁶⁾ Cfr. Tac. I. c. 37.

¹⁰⁷⁾ C. Dio 64, 8. Cfr. Tac. I. c. 36 ff.

¹⁰⁸⁾ Cfr. Tac. I. c. 31.

¹⁰⁹⁾ Cfr. C. Dio 64, 6. — Suet. G. 20. — Plut. G. 26. — Cedren. I. I. — Flav. Ios. B. I. IV. 9, §. 2 et 9. — Aur. V. Ep. VI. — Tac. H. I. 41. „iuxta Curtii lacum trepidatione ferentium Galba proiectus a sella ac provolutus est. Galba proiectus est in medio foro, ubi ille lacus quondam fuit. Cfr. Ovid. Fast. VI. 403. — Dionys. H. II, p. 108. — Cfr. Boeig. I. c. p. 40 ff.

Piso, qui in Vestae templum, ut vitam conservaret, confugerat, a Sulpicio Floro et Statio Murco, quos Otho miserat, ad templi portam trucidatus est. Eodem die alios¹¹⁰⁾ multos et invisos interfici iubet. Quibus rebus peractis et senatus et populus castra petiit omnemque in modum Othoni declarare conabantur, quantopere gauderent Galbam esse occisum.¹¹¹⁾ Laudatur militum iudicium, manus Othonis exosculantur.

VI.

Otho Romae imperator agnoscitur et benignitate ac liberalitate omnium fere maximam gratiam sibi conciliat.

Deinde senatu a praetore urbano vespere vocato magistratus omnes omni modo Othonem adulantur, decernuntur ei potestas tribunicia, nomen Augusti, omnes denique honores, qui ad principem deferri solent.¹¹²⁾ Ille interim nihil intermisit, quo appareret sibi quasi coacto imperium esse datum, quum ab aliis invitatus ad murum istum raptus sit. Se benignum, popularem in imperio praestiturum prae se ferre studuit eo, quod constituit, ut iam a Galba vel Nerone ad consulatum destinati cum retinerent, restituerentur Neronis iussu in exilium eiectis senatoribus, qui Galbae sub imperio domum

¹¹⁰⁾ Cfr. C. Dio 64, 6.

¹¹¹⁾ Bene referri posse videntur de hominum mutatione, quae dicuntur a Cassio Dione 65, 1: „ὁμοῦ ποῦ οὐδὲν πάριόν ἐστι τῶν ἀνθρώπων, κ. τ. λ.“

¹¹²⁾ Cfr. Plut. G. 28. — Tac. H. I. 47. — Cfr. Crev. I. c. p. 90 ff. C. Dio 64, 8.

rediissent, bona, quae non districta exstarent. Adde, quod Vitellii matrem, liberos fratremque¹¹³⁾, Romae degentes, non laesit.

Ex eo factum est, ut, qui eum antea furiam, pestem duxerant, meliorem spem de eo caperent.¹¹⁴⁾ Neque vero solum Romae civibus, sed etiam provinciarum benevolum se praebuit. Lingonibus enim universis civitatem Romanam, provinciae Bacticae Maurorum civitates, nova iura Cappadociae, nova Africae dono dedisse fertur.¹¹⁵⁾ Suas ipsius iniurias minime, valde ultus est populi. Ab infima plebe etiam Nero appellatus esse traditur, quod quidem maxime ei placuisset. Epistolis ad provinciarum praesides missis Neronis cognomen adiecit, qua re quum nonnulli murmurassent, postea intermisit.¹¹⁶⁾ Neronis statuas reponi sivit et quingenties sestertium ad peragendam ab illo inceptam domum auream subscripsit, quod maxime reprehendendum censet Crevierius.¹¹⁷⁾ Quantopere iam in militum animos se insinuarit, ex eo intelligitur, quod Suetonius de Crispino quodam brevius eoque obscurius tradit: „Placuerat per classarios arma transferri, remittique navibus. Ea quum in castris sub noctem promerentur, insidias quidam suspicati, tumultum excitaverunt: ac repente omnes, nullo certo duce, in Palatium concurrerunt, caedem senatus flagitantes: repulsisque tribunorum, qui inhibere tentabant, nonnullis et occisis, sicut erant, cruenti, ubinam imperator esset, requirentes, perruperunt in triclinium usque, nec nisi viso destiterunt.“¹¹⁸⁾

Melius ac clarius res a Tacito traditur. Eo auctore Crispinus, quem modo dixi, aperto armentario vehicula cohortis nocte incipiente armis onerare Romamque transferre

¹¹³⁾ Tac. H. I. 75, 88.

¹¹⁴⁾ Cfr. Plut. Otho I. — Tac. H. I. 77 ff.

¹¹⁵⁾ C. Dio I. I.

¹¹⁶⁾ Suet. I. c. 7. — Tac. H. I. 80.

¹¹⁷⁾ Crev. I. c. p. 100.

¹¹⁸⁾ Cfr. Suet. I. I. 8.

iussus est.¹¹⁹⁾ Quum vero milites ad perdendum Othonem senatoribus illa arma praebere putarent, raptis armis urbem ac palatium petierunt et a conviventium primorum civitatis caede vix ipsius Othonis opera retinebantur.

Sed quanquam hoc modo tam celeriter Otho imperium arripuerat, non ita diu post valde eum poenituit. Ubi enim Capitolium ingressus sacrificavit, et exta infelicem exitum praedicarant, gravi simul exorta tempestate identidem obmurmuravit:

„Τί γάρ με ἔδει μακροῖς ἀλλοῖς ἀλλεῖν;“¹²⁰⁾

Insequente nocte subito experrectus a Galbae manibus se deturbari putans, compluries e lecto cecidit ediditque gemitus maximos. Deinde illius manes eum propitiare tentasse tradit Suetonius.¹²¹⁾

VII.

Vitellius Coloniae Agrippinae imperator eligitur.

Otho, postquam interfecto Galba imperium adeptus est, mirum in modum atque praeter opinionem nec deliciis nec desidiis, ut antea, se dedit. Sed mutatio illa subita non facile accidere visa est, quapropter plerique crediderunt voluptates dilatas, dissimulatas luxurias esse eoque falsas

¹¹⁹⁾ Illa arma Ostiae erant. Cfr. Tac. H. I. 80 ff. — Suet. Claud.: „Puteolis et Ostiae singulas cohortes ad arcendos incendiorum casus collocavit.“ Illa arma, quae Suetonius dicit, erant septimae cohortis. Cfr. Tac. I. c. 80.

¹²⁰⁾ Fuisse proverbium vulgatum de iis, qui quid sibi inutile fecissent, testatur Cassius Dio 64, 7. — Cfr. Zonaras I. I. c. 15.

¹²¹⁾ Cfr. Suet. 7.

virtutes, plus formidinis ac metus praeberi.¹²²⁾ Quem metum valde auxerunt allati nuntii, Coloniae Agrippinae ab inferioris Germaniae militibus imperatorem esse designatum. Inde enim fore putabant, ut bellum civile excitaretur. Illi nomen fuit Aulo Vitellio, qui teste Suetonio Druso Caesare, Norbano Flacco Coss. a. 768 natus est.¹²³⁾ A primis pueris omnibus fere iisque foedissimis vitiis vitam inquinavit degitque Capreis inter scorta Tiberiana.¹²⁴⁾ Neque vero insequente aetate a probris abhorruit.¹²⁵⁾ Magnis deinde honoribus functus est. Litterarum ac eloquentiae peritissimus fuisse dicitur.¹²⁶⁾ Postquam Galba imperator factus est, ab eo in Germaniam inferiorem administrandam contemptu magis, quam gratia, est missus. Dicebat enim Galba, neminem esse metuendum minus, quam qui de solo victu cogitaret. Quantopere vero Galba frustraretur, mox patefactum est. Etenim exercitus, quia esset aetate integra animoque facili ac prodigo, summa alacritate eum accepit. Tantopere in dies valuit liberalitate erga milites, ut initio mensis Ianuarii a. 822 Coloniae Agrippinae a legionibus imperator consalutatus sit.¹²⁷⁾ Ubi superioris quoque Germaniae exercitus tertium Nonas Ian. Vitellio accessit, cognomen „Germanici“ accepit.

¹²²⁾ Cfr. Tac. H. I. 50 et 71; Plut. Otho 4.

¹²³⁾ Cfr. Clinton I. I. p. 2.

¹²⁴⁾ Cfr. Apollon. I. c. p. 236, qui singula deinceps eius scelera enumerat. Praecipue eius effeminationem castigat. Plus enim „inquit“ unguenti quam ego aquae consumit, ut videatur gladio percussus, unguentum potius, quam sanguinem emissurus.“

¹²⁵⁾ Cfr. C. Dio 63, 2. — Henry Cohen I. I. p. 254.

¹²⁶⁾ Cfr. Aur. V. Ep. VIII.

¹²⁷⁾ Tac. H. I. 56 ff. — Plut. G. 22. — C. Dio 64, 4 et 5. — Entrop. Brev. XI. — Iornandes: De regnorum successione. c. XL. „Galba in Hiberia, Vitellius in Germania, Otho Romae imperium arripuerunt“

VIII.

Bella, quae inter Othonem et Vitellium exorta sunt.

§. I.

Proelium apud Alpes Maritimas committitur, ex quo Othoniani superiores discedunt.

Quum igitur legato Fabio Valente auctore Vitellius imperator renunciatus esset idque exemplum iam Treveri, Lingones, alii essent secuti, Britannicus quoque exercitus, quamvis primo quidem fidem Galbae praestitisset, Vitellii partibus accessit.¹²⁸⁾ Quibus rebus ille se in imperio iam satis stabilitum ac validum ad Othonem invadendum ratus, bellum comparare coepit. Itaque dux Fabius Valens, qui Gallias vel alliceret vel vastaret et per Cottianas Alpes in Italiam irrumperet, electus est.¹²⁹⁾ Caecinae contra triginta milia militum data sunt, quos Pennina iuga traduceret. Praeterea utrique copias Germanorum auxiliis suppleverunt, ut ingenti copiarum vi Othonem aggredi possent.¹³⁰⁾

¹²⁸⁾ Quod quum fieret eo tempore, quo Galba in vita erat, intelligi licet, tres addito Othone simul de imperio inter se certasse. Quantopere igitur res Romana intestinis discordiis distrahebatur!

¹²⁹⁾ Iter igitur fecit per Treviros, Mediomatricos, Leucos, Lingones, Aeduos, Lugdunenses et ubique ab illis populis benigne receptus est. Cfr. Schoepflin. I. c. p. 174.

¹³⁰⁾ Tac. I. c. 61.

Cuius rei-quum certior factus esset, Otho valde obtor-puit. Quare nihil intermisit, quin ad quietem ac concordiam Vitellium impelleret. Ad hoc efficiendum senatum interim commovit, ut legatos mitteret, qui Romae principem iam electum esse certiozem illum facerent. Epistolas ad eum privatim misit, quibus magnam pecuniae vim, gratiam, omnes denique res, quae vitam suavem ac prodigam efficere queant, ei promisit.¹³¹⁾ Eodem fere modo a Vitellio responsum est, primo quidem amice, ad postremum vero alter alteri cupiditates et stupra obiecit. Praeclare Tacitus hoc loco subiungit: „Neuter falso.“¹³²⁾ Legati, quos Otho quasi senatus auctoritate ad pacandum utrumque Germanicum exercitum miserat, apud Vitellium remanere malebant. Dum talia ab utraque parte aguntur, alter alterum interficere studuit.

Sic discordiae semen magis magisque sparsum postmodum civitati Romanae funestissimos fructus necessario editurum fuisse, facile quisque viderit. Interim Otho cum fratre Titiano consulatum in Cal. Mart. gessit.

Tali discordia confisi Rhoxolani¹³³⁾, qui priore hieme duas cohortes Romanas ceciderant, in Moesiam praedae agenda spe irruperunt. Qui quum incuriose vagarentur, tertia legio adiunctis auxiliis subito ac inopinato in eos invasit. Ab iis praeclaram victoriam reportatam ubi Romam nunciatum est, M. Aponio, Moesiam obtinenti, triumphalis statua, F. Aurelio, Iuliano Titio, Numisio Lupo, legionum legatis, ornamenta consularia decreta sunt, qua re maxima laetitia affectus esse Otho traditur: „tamquam et ipse felix bello, et suis ducibus suisque exercitibus rem publicam

¹³¹⁾ Cfr. Cassius Dio 64, 10.

¹³²⁾ Tac. I. c. 74. — Suet. I. c. 8.

¹³³⁾ Secundum Tacitum e Sarmatica gente fuerunt. De Sarmatis cfr. Pompon. Melam: De situ orbis III. 4, qui indomitam, atrocem, immanem illam gentem dicit, quae res opesque secum trahens in castris semper habitet.

auxisset.“¹³⁴⁾ Quum igitur Vitellium ad concordiam impellere frustra conatus esset et Romae propter Tiberis inundationes, quibus Campus Martius et via Flaminia, qua Otho contra hostem profecturus erat, superfundebantur¹³⁵⁾, aliis additis prodigiis permagnae clades Othoni imminere viderentur¹³⁶⁾, nuntius ex Illyrico allatus crexit eius animum, Dalmatiae, Pannoniae, Moesiae legiones iureiurando fidem erga se praestitisse. Etiam si Aquitania, provincia Narbonensis ad Vitellium accesserunt, plurimae provinciae imprimisque transmarinae in Othonis parte manserunt. Itaque quam primum bellum cum Vitellio gerere constituit. Quod gerendum eum inconsulto ac praepropere suscepisse, a Suetonio tres praecipue afferuntur causae. Primum ancilia mota nondum esse condita;¹³⁷⁾ deinde Othonem Roma profectum esse die, quo cultores Deorum matris lamentari et plangere inceperunt;¹³⁸⁾ denique infelicissima visa esse auspicia.¹³⁹⁾ Quum Alpes Cottianae ac Penninae obsiderentur, clauderentur Galliarum aditus ab Vitellii exercitibus, primum Galliam Narbonensem, quippe quae ad hostem defecisset, aggredi constituit. Itaque duces, quibus maximam fidem tribuit, exercitibus et classicis

¹³⁴⁾ Tac. II. I. 79.

¹³⁵⁾ Cfr. Plut. Otho. 4.

¹³⁶⁾ Quantum illa prodigia omnino apud Romanos valerent, ubique fere intelligere licet. Cfr. de hac re: Programm d. königl. Gymnas. zu Queidlbg. a. 1813/4.

¹³⁷⁾ Ancilia e templo Martis per triginta dies depromebantur ad solennem Saliorum saltationem Kal. Mart. Cfr. Becker. R. A. 4. Thl. p. 369—375. Hoc omne tempus religiosum fuisse habitumque infaustum rebus gerendis liquet e Liv. libr. 37, 33: „Stativa deinde ad Hellespontum aliquamdiu habuerunt: quia dies forte, quibus ancilia moventur, religiosi ad iter inciderant.“ Quia Otho ante finem mensis Martii, sicut infra intelligetur, profectus est, ancilia nondum erant condita.

¹³⁸⁾ Die vicesimo tertio mensis Martii sacerdotes Cybeles Attidis pueri memoriam celebrare incipiebant. Coniuncta erant „Hilaria“, quae usque ad prid. Kal. April. durabant. Cfr. Becker I. c. p. 315 ff.

¹³⁹⁾ Tac. II. I. 86. — Plut. Otho. 4.

et terrestribus praefecit allegitque ex magistratibus, qui itineris essent comites¹⁴⁰⁾, in iis Vitellium, fratrem imperatoris. Neque vero minus matri Vitelii et uxori pepercit, sive metu rerum futurarum, sive iustitia. Priusquam Romam relinqueret, ut civitas cordi esset, a patribus petiit. Concione deinde convocata urbis maiestatem, unanimum cunctorum civium consensum summis extulit laudibus commisitque imperii curas S. Titiano fratri. „Nec illi segne aut corruptum luxu iter: sed lorica ferrea usus est et ante signa pedester, horridus, incomptus, famaеque dissimilis.¹⁴¹⁾

Suedius Clemens, Antonius Novellus, Aemilius Pacensis urbanis cohortibus et praetorianis Alpes Maritimas transcendere ac Galliam Narbonensem aggredi iussi sunt.¹⁴²⁾ Militum animi atque audacia aucta sunt, quia Alpes qui incolebant, non quidem permagna virtute fugarunt, sed eo, quod montani non usi ducibus neque victoriam magni aestimabant, neque fugere turpiter iis visum est. Quare Albium Intemelium¹⁴³⁾, ubi magnam praedam agerent, aggressi sunt.¹⁴⁴⁾

Othonianos iamiam Galliae Narbonensi bellum illaturos et quam celerrime auxilio opus esset, Fabius Valens a coloniarum incolis certior factus est. Quibus auxilium petentibus ille obsecutus est. Duae enim cohortes Tungrorum, quatuor equitum turmae, universa Treverorum cohors duce Iul. Classico in proelium missae sunt, e quibus pars substitit in colonia Foroiuliensi, ne, si omnes copiae in terrestre iter se convertissent, hostes mare vacuum navibus aggrederebantur. Inde quum Othoniani ita in acie instructi essent, ut pars classicorum

¹⁴⁰⁾ Cfr. Plat. Otho. 5.

¹⁴¹⁾ Tac. H. II. 12. Ab hac laude, quam Tacitus Othoni tribuit, valde differt Iuvenalis, qui eius luxum ac mollitiam tantam fuisse refert, ut „speculum civilis sarcina belli“ fuerit. Satir. II. 112. Sed Tacito maiorem fidem habendam esse, quis est, qui neget? Cfr. Crevier I. c. p. 154 ff.

¹⁴²⁾ Tac. H. I. 87; II. 12.

¹⁴³⁾ Intemelium situm erat in Liguria. Cfr. Cellar. I. c. II. 9. 654.

¹⁴⁴⁾ Tac. I. c. II. 13.

mixtis paganis in colles mari propinquos exurgeret, explerent inter colles ac litus locum praetoriani, classis in ipso mari esset, acerrima pugna exorta est. Quia multi, quos F. Valens contra Othonianos miserat, rei militaris imperitissimi erant¹⁴⁵⁾ et Treveri incaute in hostes invaserant, necesse erat fieret, ut Othoniani pugna superiores decederent. Neque vero classis, dum acriter pugnatur, illos non adiuvit, quum a tergis Vitellianos aggrederebatur. Ac profecto non multum aberat, quin illi ad unum omnes deleberentur, nisi noctis tenebris victores prohibiti essent.

Quum igitur Othoniani victores pugna discessissent, victoriae fructu, ut ita dicam, uti nesciebant. Etenim nimis secure incauteque quia agebant, improvise proelio redintegrato hostis in eos invasit. Quo fiebat, ut vigiles caesi, perrupta sint castra, classi terror iniectus, donec illi animis auctis et ipsi collibus tecti adorirentur. „Ac velut pactis induciis, pergit Tacitus, ne hinc classis inde eques subitam formidinem inferrent, Vitelliani retro Antipolim¹⁴⁶⁾, Othoniani Albigaunum revertere.“¹⁴⁷⁾ Othonianorum victoriae fama undique perlata effectum est, ut proximi maris insulae, imprimis Sardinia ac Corsica in fide Othonis permanerent, ubi procurator Decimus Pacarius Othonis invidia auctor erat, ut Vitellio auxilio veniretur. Sed paulo post, ubi primum milites militiae muneribus fatigari coepti sunt, in balneo ille trucidatus eiusque caput Othoni allatum est.¹⁴⁸⁾

§. II.

Vitelliani ab Othonianis apud Placentiam victi sunt.

Othonianos adhuc haud parvam virtutem praestitisse vidimus. Quid vero postea? Eos proeliis tantum parvis

¹⁴⁵⁾ Cfr. Tac. H. II. 14 „nondum sub signis.“

¹⁴⁶⁾ Antipolis colonia Massiliensium fuit. Cfr. Cellar. I. I. p. 235.

¹⁴⁷⁾ Tac. H. II. 15.

¹⁴⁸⁾ Tac. I. I.

valuisse putas? Rationem habe famosissimae illius pugnae Placentinae: iam intelliges, quam audaces quamque rei militaris periti fuerint. Age, hoc non temere dictum esse, ut patefiat, ipsam pugnam accuratius tractemus. Iam supra dictum est, Annium Gallum una cum Vestricio Spurrinna¹⁴⁹⁾ ab Othone ad Padi ripas, quas obsideret, praemissos esse. Quapropter factum est, ut Spurrinna Placentiam urbem in obsidione teneret, qua in re non solum se manu fortem, verum etiam, id quod maxime ducem efficit optimum, ingenio ac virtutibus imperatoriis se ornatum declaravit. Falsa enim fama perlata Caecinam cum ingentium copiarum vi iam advenisse, illum quidem nec fefellit et satius putavit exiguum admodum exercitum intra munimenta teneri. Cuius consilium a militum voluntate quamvis alienum prudentissimum fuisse, postea cognitum est, quum iis deposcentibus, ut statim adversus hostem iretur, denique obsecutus est, ne ab iis trucidaretur.¹⁵⁰⁾ Quum enim urbe relicta e conspectu esset Padus et imminente nocte castra vallare constituissent, insolitus labor milites urgebat ac fatigabat, ut statim Spurrinnae prudentiam cautionemque summis laudibus efferent, quippe qui iam inde ab initio perspexisset, tam exiguum manum non posse vincere nisi vallis retentam. Quocirca ad pedes illius se iecerunt et in urbem ut reducerentur, petierunt.¹⁵¹⁾ Cui, mehercle, hoc loco non in mentem veniat praeclarissimi illius Romanorum ducis Q. Fabii Maximi Cunctatoris, quocum Spurrinna haud inepte conferri posse videtur, praesertim quum sua prudentia hostes fusos esse intelligatur? Milites enim, postquam Placentiam reducti sunt, summa obedientia reverentiaque Spurrinnae turres agere, addere propugnacula, muros tutiores facere, libentissimi coeperunt. Dum haec geruntur,

¹⁴⁹⁾ Vestricius est Spurrinna, cui principe auctore triumphalis statua decreta est. Cfr. Plin. Epp. 2., 7 et 3., 1.

¹⁵⁰⁾ Cfr. Plut. Otho 5.

¹⁵¹⁾ Tac. H. II. 18 ff.

Caecina, Vitellianorum dux, Pado traiecto ipsam Placentiam adoriri constituit. Neque securitate neque disciplina Caecinae milites usos, mox patefactum est.

Vitelliani enim oppidum aggressi ingenti clade accepta fusi sunt ac fugati. Vix nocte parandis operibus absumpta illucescebat, quum incredibili pugnandi alacritate Othoniani certo ictu pila in hostes, qui temere nec iustae obsidionis periti muros subibant, deiecerunt. Ita quum utrimque acriter pugnatum esset, Vitelliani victi ac Cremonam se recipere coacti sunt.¹⁵²⁾ Interim Annius Gallus, qui, ut Spurrinnae auxilio veniret, Placentiam contendit, de illa victoria et Caecinae consilio certior factus, Bedriaci¹⁵³⁾ substitit.

§. III.

Tertium committitur proelium apud Castores, qui dicitur, locus.

Caecina, qui atroci pugna Placentina repulsus erat, quam primum cladem acceptam sarcire cogitabat. Ne igitur cum altero duce Fabio Valente decus ac gloria futurae committendae pugnae communicaretur, rapacius quam cau-

¹⁵²⁾ Cfr. Tac. H. II. 22. — Plut. Otho 6.

¹⁵³⁾ De hac vocabuli scribendi ratione magna dissentio ac variatio est. Sunt enim, qui „Bebriacum“ scribant. Cfr. Eutrop. 7, 11. — In vetustis Suetonii libris „Betriacum“ legitur. Cfr. Plut. Otho 8. „Βητριακόν, πολίγνη πηλώδων Κρεμύνης.“ Eutropium secuti sunt Iuvenalis Sat. II. 106; Aurelius Victor: Epit. VII; Orosius l. c. p. 475. Optimi autem et plurimi codices praebent mutata β in δ vel τ „Bedriacum seu Betriacum“, quae lectio verisimilior esse videtur. Suetonius in melioribus mss. habet „Betriacum“. Iosephus Flav.: De B. I. IV. 9, 9 habet „Φρηγδακόν“ quod a librariis pravatum esse putaverim. Facile enim fieri potuit, ut litera „β“ non absimilis a „φ“ in eam literam permutaretur, „γ“ se immerito insinuarit et litera „ρ“ transponeretur. Quo posito lectio existit „Bedriacum“. Ac re vera formam „Φρηγδακόν“ Hudsonius et Havercampius in „Βηδριακόν“ recte mutarunt. De Bedriaci situ cfr. Mannert: Geogr. d. Gr. u. Röm. Bd. 9. p. 152 ff.

tius ad Castores¹⁵⁴⁾ aciem instruxit. Hostes in insidias praecipitare constituit. Quare rem instituit ita, ut magna peditum manu locis saltuosus et silvestribus condita equitatus, si cum ipso hostis manus contulisset, paulatim fugam capesseret. Eo fieri credit, ut a pedestribus ubique conditis subito hostis circumiretur. Sed hanc rem Othonianorum ducibus perfugae prodiderunt. Quamquam inde promptissimi praetorianorum equites interfecti sunt, peditum eruptione facta hostium acies protrita et fuga salutem petere coacta est. Celsus enim aptissimo ad pugnandum momento exercitum cum hoste manus conserere iussit. At contra Suetonius Paulinus diutius cunctatus est pugnandi signum dare, ut postea affirmaretur, Othonianos totum hostis exercitum deleturos fuisse, si Paulinus in tempore impetum fecisset.¹⁵⁵⁾

Interim Otho, qui Bedriaci in castris erat, adhibitis conciliariis secum agitabat, utrum extemplo pugna redintegrandam esset an bellum ducendum? Ut bellum differret auctoribus obsecutus non est. Sed Titianus frater et Troculus quum sine mora pugnam committendam suasissent, Othonem commoverunt, ut statim hostem aggredi constitueret. Deinde Othoni secum deliberanti, quid sit melius, utrum pugnae adesset necne, Paulinus et Celsus persuadebant, ut Brixellum se conferret.¹⁵⁶⁾

¹⁵⁴⁾ Hanc pugnam, quam Tacitus l. c. 24 apud locum, qui vocetur Castores, commissam esse narrat, eandem fuisse, quam Plutarchus l. c. 7 ad Cremonam commissam vult, et eo colligi potest, quod Tacitus ipse addit: „Ad duodecimum a Cremona locus Castorum vocatur“, et inde, quod uterque auctorum singula deinceps huius proelii pari modo ac ratione referunt. Eo autem utrosque de proelii loco discrepare putaverim, quod Tacitus accuratissime illum locum indicat, negligentius Plutarchus Cremonam ab eo ipso non multum distantem nominat, quae urbs notior celebriorque sit.

¹⁵⁵⁾ Tac. H. II. 24 ff. — Cfr. Oros. libr. VII. l. c.

¹⁵⁶⁾ Plut. l. 1. 8.

§. IV.

Otho duces admonet, ut quartum committant proelium, quo Othoniani fusi sunt ac fugati.

Venio nunc ad illud referendum proelium, quod maximae pernicietis Othoni fuisse intelligitur. Othone Brixellum profecto duces inter se certabant, utrum statim dimicandum an proelium differendum esset. Celsus et Paulinus proelium ne statim iniretur, suadebant, quod milites longo itinere fessi integros hostes sustinere non possent. Ita quum ambigeretur, ab Othone¹⁵⁷⁾ missus Numida nuntium attulit: illum poscere, ut extemplo signa cum hoste conferrent reiue discrimen fieret. Quum alter quoque exercitus, cui Fabius Valens praefuit, ad Vitellianos sese adiunxisset, (Tac. H. II. 27 ff.) utrimque statim ad pugnam parati erant. Quod ubi Caecina operi pontis intentus audiit, quam celerrime in castra contendit, ubi milites iam in armis erant. Extemplo delectissimi equitum in hostem proruperunt. Non multum aberat, quin ab Othonianis in fugam converterentur, nisi legio Italica gladiis dextris eos iuvisset et ad redeundum renovandamque pugnam coëgisset.

Othoniani acriter fortiterque restiterunt. Sed quum non ita diu pugnatum esset, hostili dolo factum est, ut devincerentur. In prima enim Othonianorum acie rumor oblatus est, a Vitellio duces cum exercitu descivisse. Quare pugnandi ardore omissa amice eos salutarunt. Sed hostili murmure quum essent excepti, rem se fefellisse viderunt. Quae res eos, veniente iam ad conferendas manus hoste, maxime turbaret necesse erat. Praeterea magnam confusionem interserta militibus impedimenta praebuerunt, quia fossis et scrobibus locus valde concisus eos distrahebat. Qui igitur aliter fieri potuit, quam ut Othoniani animis deficerent et ad extremum terga verterent? Cuius rei complures causas invenio.

¹⁵⁷⁾ Cfr. Plut. Otho 11. Cfr. Tac. l. c. 39 ff.

Primum Othoniani itinere fessi cum Vitellianis signa conferre coacti sunt; deinde duces militibus suspecti locum ad pugnandum minime aptum elegerunt, quia aquae penuria premebantur, quamvis multi amnes prope essent; tum Othonis exercitus numero minor fuit quam Vitellii; denique Varus Alphenus cum Batavis Vitellianis auxilio venit, qui interfectis gladiatoribus Othonianos robore privabant.¹⁵⁸⁾

Inde quum Othoniani fusi fugatique fuga advenissent Bedriacum, parti se Vitellio dedere visum est, plurimi pugnam redintegrare malebant.¹⁵⁹⁾ Postridie vero eius diei, quia feroces etiam animis deficiebant, uno omnium consensu legatos ad Caecinam miserunt¹⁶⁰⁾, qui de pace cum eo agerent. Petentibus Vitellianorum duces obsecuti sunt. Omnes bella civilia detestabantur et alter alterius vulnera fovebat. Sic rem Tacitus tradit. Plutarchus paululum discrepat.

Eo enim teste Titianum poenituit, quod legatos ad pacem petendam misisset. Quamobrem iterum muris insistere pugnandi causa fortissimos iussit. Sed quum Caecina profectus dexteram porrexisset, cum eo se coniungere non diutius dubitavit.¹⁶¹⁾

Quae dum geruntur, Otho Brixelli versatus est intentus admodum, quomodo proelii exitus fieret. Neque vero metu ac terrore affectus est, quod male res gestas esse nunciatum est.

¹⁵⁸⁾ Cfr. Tac. I. c. 42 ff. — Plut. I. 1.

¹⁵⁹⁾ Cfr. Tac. H. II. 44. — C. Dio 64, 12.

¹⁶⁰⁾ Tac. H. II. 45: „qui ferociores fuerant ad poenitentiam inclinantibus, missa legatio.“

¹⁶¹⁾ Cfr. Plut. I. 1. 13.

IX.

De loco, quo quartum proelium esse commissum videatur.

Quum de loco, quo quartum proelium commissum sit, auctores inter se dissentiant, pauca dicenda puto. Suetonius et Paulus Orosius apud Bedriacum proelium factum esse tradunt. Quodsi gravissimum auctorem, Tacitum, quocum consentire videtur Plutarchus¹⁶²⁾ ac Cassius Dio, sequimur, inter Bedriacum et Cremonam proelium factum esse liquet. Tacito enim auctore (H. II., 39 ff.) Othoniani, postquam castra a Bedriaco ad quartum promoverunt, Confluentes Padi et Adduae fluminum sedecim inde millium spatio distantes petierunt atque proelium commiserunt. Non igitur apud ipsum Bedriacum illud proelium factum esse e Tacito liquet, qui sibi constans narrat, (H. II. 44) Othonianos proelio commisso fuga Bedriacum petisse. Maximi in hac re momenti est, quod Tacitus addit: „Immensum id spatium.“ Ubi igitur re vera pugnatum sit, accuratius excutiendum est. Rectissime sequi videmur Tacitum, qui Confluentes Padi et Adduae Othonianos ad proeliandum petisse refert. Confluentem autem Padus et Addua non multum supra Cremonam, ubi Vitelliani castra posuerunt. (cfr. Crev. I. c. p. 187.)

Quae quum ita sint, hoc proelium circa Cremonam commissum esse verisimillimum est, quod idem sentit Tillemon-

¹⁶²⁾ Plutarchi auctoritas hoc loco permagni aestimanda est, quum ipse per campum, ubi haec pugna commissa est, iter faceret et cum viro quodam de ea dissereret, qui extemplo post pugnam commissam singula suis oculis inspexerat. Cfr. Plut. Otho c. 14.

tius (l. c.). Suetonii vero et Orosii errorem ita mihi explico, ut Bedriacum, ubi Othoniani castra habebant et fugati sese receperunt, qua re ea urbs nota facta est, cum ipsius proelii loco confunderent. Nostrae sententiae praeter Tillemontium favet Mannertius, qui satis magno intervallo a Bedriaco vult pugnatum esse. (cfr. Mannert l. c. — cfr. Excurs. I. ad Taciti Hist. II., p. 152 ed. Orelli.)

Restat, ut rationem habeamus Cassii Dionis, qui proelium Cremonense postremum Othone vivo factum esse tradit. Postquam enim de proelio Cremonensi retulit, exemplo hoc commisso proelio ex Othonianis quendam se cladem accepisse Othoni renunciassse pergit. Qui quum primo fidem non habuisset, militem illum, ut nuntium affirmaret, manus sibi attulisse. Quare commotum Othonem illud exemplum secutum mortem statim obire constituisse verbis: „Multo melius est multoque iustius, unum pro multis, quam pro uno multos interire.“ Quae sequuntur, eodem fere modo, quo apud ceteros auctores de ultimo illo exitioso proelio referentes, narrantur. Itaque sequi videtur, illud proelium esse intelligendum idem, quod Tacitus, Suetonius ceterique scriptores ultimum fuisse, quo Othoniani victi essent, memoriae produnt. (cfr. C. Dio l. l. 10 ff.)

Dies, quo proelium illud sit commissum, etsi accuratissime destinari non potest, circa ludos Cereales esse factum, qui inde a XII usque ad XIX diem mensis Aprilis Romae celebrabantur, (cfr. Becker l. c. p. 493) recte concluditur e Taciti Hist. II., 55, ubi legimus: „Cereales ludi ex more spectabantur; ut cessisse vita Othonem, et a Flavio Sabino praefecto urbis, quod erat in urbe militum sacramento Vitellii adactum, certe auctores in theatrum attulerunt, Vitellio plausere.“

X.

Quibus potissimum causis sine ulla mora decertare Otho constituerit et funesto illo proelio victus sit.

Cur Otho nulla re proposita impeditus sit, quominus extemplo decertari voluerit, adducor, ut pauca dicam, quia in iis causis explicandis rerum scriptores in diversas partes abire invenio. Plutarchus ab aliis alias causas memorari dicit. Eo auctore Othonianorum pugnandi ac vincendi hostis impetus diutius refrenari non poterat. Neque enim dubium fuit, quin futurum esset, ut victoriam ab hostibus reportarent redirentque deinde statim Romam, ubi urbanas amoenitates vitamque quietam gustare possent.¹⁶³⁾ Quae sententia maxime approbanda videtur. Erant enim milites et imprimis praetoriani ludis ac spectaculis assueti similibusque rerum cupidi, ut nihil magis concupiscerent, quam ut bellum celerrime finiretur. Praeterea Plutarchus Othonem incertitudinis, quomodo belli finis existeret, anxium piguisse, refert.¹⁶⁴⁾ Curis confectum pericula eum animo semper voluisse dicit, quare obtusis oculis quasi ex praerupto summam rerum in fortunae aleam praecipitasse.

Denique ab eodem auctore causa profertur, quae a nonnullis allata sit nec fide digna mihi esse videtur. Saepius Othonis et Vitellii militibus in animis fuisse, arma inter se consociare optimumque eligere ducem vel eum legen-

¹⁶³⁾ Cfr. Plut. Otho. 9.

¹⁶⁴⁾ Cfr. Suet. l. c. 9: „sive impatiens longioris sollicitudinis, sive impar militum ardori pugnam deposcentium.“

dum senatui permittere. Ad quod efficiendum occasio idonea ne daretur, celerrime bello occupatos eos a tali consilio abstrahi necesse fuisse.¹⁶⁵⁾ Plutarchus huic rei fidem habet, quod nec Otho nec Vitellius secunda fama usus sit. Tacitus autem, hoc cur verisimile non sit, rationes affert valde probabiles.¹⁶⁶⁾ Et ipse quidem fatetur, se illam rem apud nonnullos scriptores reperisse. „Minime tamen, inquit, concedo, neque Paulinum sperasse corruptissimo saeculo tantam vulgi moderationem reor, ut qui pacem belli amore turbaverant, bellum pacis caritate deponerent: neque aut exercitus linguis moribusque dissonos, in hunc consensum potuisse coalescere: aut legatos ac duces, magna ex parte luxus, egestatis, scelerum sibi conscios, nisi pollutum obstrictumque meritis suis principem passuros.“ Quibus rationibus claris, probabilibus a luculentissimo illo auctore allatis ad Plutarchi sententiam refutandam non habeo, quod addam. Eum enim ex recentioribus rerum scriptoribus nobiscum secuti sunt Tillemontius ac Crevierius,¹⁶⁷⁾ qui illas causas a Tacito allatas vinci posse negant.

Hoc loco restat, ut causas addam, quibus praecipue Otho victus sit. Quas si animo contempler, complures invenio. Duces inter se odisse, obtemperasse iis raro milites, iterum iterumque ab auctoribus traduntur.¹⁶⁸⁾ Iam vero

¹⁶⁵⁾ Plut. l. c.

¹⁶⁶⁾ Apud Plutarchum, si non meras res historicas narrat, sed iudicium affert sui ipsius, sagacitas ingenii critici saepe desideratur. Cfr. Bernhardt I. c. p. 4: „Selbst Plutarch hat für seine Biographien einen Anlass und leitenden Gesichtspunkt, das Princip nachgeborener Geschlechter durch die Kraft historischer Erinnerung zu erwärmen und vor der moralischen Verkümmern zu schützen, von Rom empfangen: dieser sittliche Kern mag ihn entschuldigen, wenn er weder in seinen Zusammenstellungen, bei denen ihm oft genug der Mangel an hellenischen Seitenstücken hindert, noch in seinen Kritiken die Befangenheit des Griechen verleugnet.“

¹⁶⁷⁾ Cfr. Tillem. l. c. — Crev. l. c. p. 183.

¹⁶⁸⁾ Plut. Otho. 5.

cum Zonara, quis est, qui non consentiat confirmante, Otho-nem non imbecillitate, sed propter ducum multitudinem esse victum?¹⁶⁹⁾

Duces igitur, qui vincerent, apti non fuerunt. Quid milites? Licet virtutem quamvis magnam plerumque praestiterint, luxus ac inobedientia inutilem irritamque eam reddidit. An vero vino obrutos ac pro se quosque agentes milites moderatis et imperatoris dicto audientibus plus valere putas?

Adde, quod Otho decertandum censuit, antequam ex Illyria, Moesia, Pannonia legiones auxilio advenirent.¹⁷⁰⁾ Denique Othoni ingenti damno fuit, quod sui ipsius conspectum, reverentiam studiumque certantibus eripuit. Ut primo quidem fortiter ac strenue pugnarent, paulatim pugnandi alacritas et consilium exstinguebatur, nisi, ut imagine utar, tamquam lumini oleum instillet, sic interdum ad fortius resistendum milites admonebantur. Neque vero se solum sed etiam praestantissimos, impigerrimos equites ac pedites secum Brixellum duxit effecitque, ut tamquam flos ac robor exercitus deesset.¹⁷¹⁾

XI.

Otho sibi ipse mortem consciscit.

Quanto amore quamque admiranda fidelitate in Otho-nem milites etiam tum manserint, quum eo duce victi erant, hoc loco annotandum duco.¹⁷²⁾ Quod quo melius intelliga-

¹⁶⁹⁾ Zonaras XI. 15. „ἡττηθη δὲ διὰ πολυαρχίαν.“

¹⁷⁰⁾ Cfr. Plut. l. c. 8. — ¹⁷¹⁾ Cfr. Tac. H. II. 33. — Plut. l. c. 10.

¹⁷²⁾ Cfr. C. Dio l. c. 12.

tur, comparemus liceat ceteros, quos ille exercitui duces praefecerat, cum ipso Othone, qui quasi summus dux summam imperii obtinebat. Vedium Aquilam legatum „desertorem et proditorem“ milites appellant. Aliis ignaviam obiciunt ac desidiā, qua re victi sint. Quid vero Otho? Ne animo deficiat, ab eo petunt, omnes se pro illo libentissimos extrema passuros, etiam atque etiam exclamant. Nunquam se illum deserturos. „Ne fidissimum exercitum, ne optime meritos milites desereret: ¹⁷³⁾ maiore animo tolerari adversa quam relinqui; fortes et strenuos etiam contra fortunam insistere spei.“ ¹⁷⁴⁾

Multas enim esse causas dicebant, quibus se victuros esse credere liceret. Apud Othonem magnam copiam superesse, ex Moesia, Pannonia, Dalmatia legiones adventuras, quae viribus integris cum hoste, cuius victoria haud incruenta fuisset, fortissime manus conferrent. ¹⁷⁵⁾ Quin etiam quidam ex militibus gladium destrixisse et exclamasse dicitur: „Ita scio Caesar, animatos omnes esse pro te mori.“ Simul semet ipse confodit. ¹⁷⁶⁾ Sed Otho, qui iam dudum, male si evenisset, quid faceret, deliberarat, non poterat adduci, ut rursus fortunam belli experiretur. Itaque benigne milites alloquitur eorumque virtutem ac fidelitatem summis effert laudibus. Qua oratione quum omnes omni modo consolatus dimisisset, inter quos imprimis Salvium Coccejanum, ¹⁷⁷⁾ fratris filium, qui quidem propter Vitellium maxime dolebat, erexit, vesperascente iam die aquam gelidam, qua sitim sedaret, acciri iussit. Tum pugionum duorum alterum capiti subdidit et placide quievit, ut cubicularii stertentem audire possent.

¹⁷³⁾ Cfr. Plut. I c. 15.

¹⁷⁴⁾ Cfr. Tac. H. II, 46 ff.

¹⁷⁵⁾ Cfr. Suet. Otho. c. 9.

¹⁷⁶⁾ Cfr. Plut. I c. 15. C. Dio 64, 11.

¹⁷⁷⁾ Eum postea Domitianus interfecit, quia patrum Othonis diem natalem celebrasset. Cfr. Suet. Domit. c. 10.

Ubi primum illuxit, pugione illo se infra laevam mammillam ictu traiecit. ¹⁷⁸⁾

Milites, postquam eius mortis certiores facti sunt, moerebant et semet ipsos accusabant, quod eum a morte non prohibuissent. Deinde praetoriani, sicut ipse Otho staterat, amplo funere statim corpus extulerunt et rogo igne admoto concremarunt. Plutarchus se ipsum Brixelli modicum tantum sepulchrum Othoni exstructum vidisse refert inscriptione: „Memoriae M. Othonis.“ ¹⁷⁹⁾

XII.

De die, quo Otho mortuus sit.

Dies, quo Otho mortuus sit, etsi expresse accurateque a rerum scriptoribus non commemoratur, eruere tamen licet comparantibus diem natalem cum eo temporis spatio, quo imperium obtinuisse dicitur addito die, quo imperium inierit. Quum autem de hac re ipsa dissensio inter singulos auctores inveniatur, accuratius eam tractemus oportet, quo quam verisimillime illum diem statuamus. Quam ob rem id primum, si videbitur, videamus, num et quatenus Suetonio fidem habere debeamus, qui IV Kal. Mai. a. 32 Othonem natum, mortuum esse tricesimo et octavo aetatis anno

¹⁷⁸⁾ Cfr. Plut. I c. 17. — Tac. I c. 49. — C. Dio I c. 15. — Suet. Otho. 11. — Zon. I I. Aur. V. Caes. 7. — Eutrop. I c. 11. — Oros. I c. Flav. I B. Iud. c. 9. — Cedrea. I I. — Euseb. Chronic. I p. 262.

¹⁷⁹⁾ Cfr. Tac. H. II. 49: „Sepulchrum modicum et mansurum.“ Cfr. Suet. Vitellius c. 10. Quodsi esset splendidum et superbe elaboratum, facillime evenire poterat, ut Vitellius aliive Othoni infensi invidia sustulissent. — Cfr. Philostr. I c. V. 4: „οὐδὲ τάφου λαμπροῦ ἔτχεν, ἀλλ' ὡσπερ ἰδιώτης κείται.“ Plut. I c.

et nonagesimo et quinto imperii die, refert. (Suet. Otho 11.) — Suetonium falso computasse neque sibi ipsi constituisse, facile demonstrari poterit. Etenim si computatur dies natalis, qui dies est duodetricesimus mensis Aprilis, ad illum diem, quo mortuus sit, i. e. dies undevicesimus mensis Aprilis a. 69 teste Suetonio, qui nonagesimo et quinto imperii die eum mortuum tradit, (imperium octavo decimo Kal. Febr. iniit. cfr. Tac. H. I. 27.) annos triginta sex, undecim menses, viginti duo dies inclusis utrimque terminis, nec integros triginta septem annos eum vixisse sequitur. Quid ergo? Suetonius sibi minime constat, quare eum hoc loco sequi necesse non est.¹⁸⁰⁾ Age, quid ceteri rerum scriptores de hac re tradant, cognoscere studeamus. Cassius Dio LXIV., 15 refert sic: „Τοῦτο τὸ τέλος τῷ Ὀθωνί ἐγένετο, ζήσαντι μὲν ἐπὶ καὶ τριάκοντα ἔτη, ἑνδεκά ἡμερῶν δέοντα.“ Eo igitur auctore 94 dies imperium gessit et mortuus est die duodevicesimo mensis Aprilis utrimque inclusis terminis.

Eum secutus esse videtur Zonaras, qui XI., 15 tradit: „ἄρξαντι δὲ ἡμέρας ἑνετήκοντα, — ζήσαντι μὲν ἐπὶ καὶ τριάκοντα ἔτη.“

Dies igitur illos XI. a Dione de pleno illo numero deductos detrahendos non attendit, itaque ad explendum numerum integrum „ἐπὶ καὶ τριάκοντα“ scribit. Secundum Flavium Iosephum tres menses et duo dies imperavit. Cfr. Iosephum Flav. B. I. IV. 9. „ἡμέρας δύο καὶ τρεῖς μῆνας κρατήσας.“ Eo teste postquam nonaginta duo dies imperium tenuit, die decimo sexto mensis Aprilis mortuus est.

Plutarchus C. Dioni assentitur. Negligentius tamen, sicut Zonaras, illos XI. dies ab integro numero non deduxit. Cfr. Plut. l. c. 18: „ἀπέθανε δ' Ὀθων ἔτη μὲν ἐπὶ καὶ τριάκοντα βιώσας, ἄρξας δὲ τρεῖς μῆνας.“ Quem igitur scriptorum inter se discrepantium optime sequamur? Suetonii

¹⁸⁰⁾ Suetonius in rebus, quae ad temporum rationem pertinent, negliger agitur. Cfr. Bernhardt l. I. p. 703, quod iam reprehendit Reimar.

auctoritatem in hac re non ita magni habendam esse vidimus. Maximo quidem iure secundum C. Dionem diem duodevicesimum mensis Aprilis utrimque inclusis terminis, quo Otho mortuus sit, statuamus, quippe cuius sententiae maxime congruat Zonaras ac Plutarchus. Cum eodem autem praeter illos I. Flavius quoque consentit, si exclusis utrimque terminis pro Dionis numero „XVIII“ diem Aprilis, XVI diem eiusdem mensis constituimus. Huic sententiae Tacitus maxime favere videtur, nec Dionis auctoritatem non sequimur, si, id quod interdum fit, utrimque termini excluduntur. Refert enim H. II., 55: „Cereales ludi ex more spectabantur, ut cessasse vita Othonem, — certi auctores in theatrum attulerunt.“ Duodecimus autem dies Aprilis Cerealia inchoabat, finiebat undevicesimus. Inter hoc temporis spatium Tacito auctore Othonem mortuum esse recte concluditur. Quum vero undevicesimus dies mensis Aprilis Cerealia iam finiret (cfr. Becker l. c. p. 493) verisimillimum est, Othonem iam die decimo sexto decessisse vita, quum inter Romam et Bedriacum longa via intercederet et unus atque alter dies ad eam perficiendam adhibendus esset. Hoc idem nobiscum statuendum censuerunt Norisius: Epoch. Syro-Mac. I., 3. p. 56; Tillemontius l. I.; Crevierius l. I.; Graevius ad Suetonii vit. Othon. ed. Burmann. Verisimillimum ergo est, decimo sexto mensis Aprilis a. 69 p. Chr. Othonem mortem sibi consciisse. Accuratius si quis hanc rem enucleare velit, frustra operam et oleum perdat.

XIII.

De Othonis moribus et causis, quibus ipse se vita privasse videatur.

Etiam si de Othonis moribus singula singulis locis, quae ad rem illustrandam iam apta vel necessaria videbantur, allata vidimus, nunc uno tenore, ut ita dicam, res liceat tractetur ita, ut tota quaedam imago expressa videatur et in illustri posita monumento vel imitanda vel vitanda intuearis.

Othonem et puerum et adolescentem maximis se inquinasse vitiis, rerum scriptorum nemo est, qui non fateatur. Ac primum quidem ut inducam Suetonium, is duobus fere capitibus nihil aliud de eo narrat, nisi quam prodigus fuerit quamque procax, ut persaepe flagris obiurgare eum patri visum sit. Imprimis autem denotat stupra, quae cum Sabina et ipso Nerone fecerit. Iam vero, quid dicam de aere alieno, de profusione? quid de foeda ambitione?

Quid, quod, tantopere regnandi cupiditate efferebatur audaci tamque iniusta? Neque quodvis scelus committere dubitabat, dummodo ad exsequenda consilia idoneum duceret. Quod quidem eo imprimis intelligitur, quod Galbam, quem antea valde adulatus erat, tam impio sceleratoque modo interfecit. An excusandus videtur, quod a mathematicis, ut hoc scelus committeret, ei persuasum est?

Fecerint sane ei spem nanciscendi imperii, concedatur cupiditas: adeone, ut posthabitis omnibus vitae communis rationibus humanitatis iura violentur sanctissima?

Iam vero virtutes, quae imperatorem magnum ac iustum reddere solent, in eo quidem maximam partem desiderantur. Ut minoris momenti qualitates omittam, etiam virtus rei quae militaris peritia, sine quibus praestans imperator ne cogitari quidem potest, ei deerant. Nisi forte tum virtutem praese tulit, quum ipse se Brixillum recepit, milites funestissimo illo proelio sanguinem ac vitam profuderunt.

Sed haec quidem hactenus. Venio nunc ad alteram imaginis exprimentae partem, quae praeclaras virtutes ac qualitates ostendet tantas, quantae in scelerato viro inesse vix putantur. Othonem a Nerone legatum in Lusitaniam administrandam missum esse, iam supra relatum est. Qua in legatione et civibus et sociis ita se probavit, ut moderatio atque abstinentia singularis esset gratissima. Praeterea haud raro magnam praestitit clementiam. Privatas iniurias ipse nullius prorsus in animum revocavit.¹⁸¹⁾ Suetonius eum praecipue laudat, quod maxime detestatus sit bella civilia. Ut verbis maiorem fidem faciat, patrem suum saepe dicere solitum esse refert, „Othonem etiam privatum usque adeo detestatum civilia arma, ut memorante quodam inter epulas de Cassii Brutique exitu, cohorrerit: nec concursurum fuisse cum Galba, nisi confideret, sine bello rem transigi posse.“¹⁸²⁾ Neque vero silentio praetereundum est, quod ante mortem epistolarum, quidquid erat, ne cui periculo apud victorem essent, concremavit. De patrio erga milites amore, quem auctores non cessant laudibus efferre, iam dicere supersedeo, quod supra satis dixisse mihi videor.

Unum igitur tantum restat, ut de illo facinore pauca disseram, quo mortem sibi ipse consciit. Etenim et antiqui et recentiores scriptores in hac re iudicanda diversas in

¹⁸¹⁾ Plut. Otho. 3.

¹⁸²⁾ Illa extrema verisimilia mihi non videntur, quum quamvis Pisonis adoptio eius spem imperii fefellisset, ab impio illo consilio non desisteret.

partes abeunt. Sunt enim, qui gloriae cupiditate Othonem mortem sibi consciisse dicant, alii amore patriae, alii ignavia. Duabus illis prioribus sententiis ducuntur antiqui, recentiores plerumque extrema. Atque eorum, qui praeclarum sane eius morti locum relinquunt, primum Plutarchum nominandum duco. Ne amplius disseram de istis eius verbis: „Nerone mortuus est generosius“, quam praeclara causa Othonem mortem sibi consciisse demonstrat ea oratione, quam illum ante mortem habentem facit! Ibi enim patriae amore se ad mortem impulsus dicit. Ad Romanorum normam praeclarum bonoque cive dignum! Si hac causa revera ad mortem raptus est, minime dubitamus, eum cum Deciis, cum Codro aliisque viris clarissimis conferre, qui patriae amore sua sponte mortem obierint. Plutarchum sequi videtur Suetonius. (Otho 12.) Zonaras quoque vitam flagitiosissimam morte dicit eum decorasse honestissima.¹⁸³⁾

Nec cum eo Martialis¹⁸⁴⁾ non consentit dicens:

„Sit Cato dum vivit, sane vel Caesare maior:

„Dum moritur, num quid maior Othone fuit?“

Iam vero intelligere studeamus, quid de hac re Tacitus iudicet. Omissa oratione, qua illum loquentem facit, constantia ac gloriae studio se ad mortem impulsus esse et ipse scriptor fatetur, Othonem exitu egregiam famam meruisse. Eo igitur auctore gloriae cupiditate mortem ille sibi consciit. Quae sententia verisimilior esse videtur, quam Plutarchi.

Magnam igitur gloriae cupiditatem ac fortitudinem in Othone fuisse Tacitus contendit. Fortitudinem dicit? nescio an melius potuerit dicere ignaviam. Hanc enim causam, cur se ipse necarit, recentiores scriptores maximam partem Othoni fuisse dicere non dubitant.¹⁸⁵⁾

¹⁸³⁾ Cfr. Zon. I. c. — C. Dio I. I. — ¹⁸⁴⁾ Cfr. Martial. Epigr. VI, 32.

¹⁸⁵⁾ Cfr. Weber: Allgem. Weltgesch. IV. Bd. p. 201. — Cfr. Niebuhr. I. c. p. 274. — Schlosser: Universalhist. Uebersicht der Gesch. d. alt. Welt u. ihr. Cultur. III. Bd. a p. 247 ff. — Crevierius contra cum Tacito consentit.

Verissime putare videmur, Othonem nec amore patriae, nec praecipue ignavia, ut mortem sibi conscisceret, adductum esse, quum multos et fortes milites secum haberet et ex Moesia ac Dalmatia alios adventuros certior factus esset, sed maxime probabile est, auctore Tacito gloriae cupiditate sua sponte mortem obisse, praesertim quum iam Otho, antequam imperium iniret, quanti haberet gloriam, ostenderet diceretque acrioris viri esse merito perire. Tali enim morte gloriam comparatam apud posteros esse mansuram.

Quanta autem omnino alacritate vitaeque contemptione mors oppetita sit, dummodo gloria acquireretur, cognosci potest ex his Taciti verbis: „Quidam militum iuxta rogam interfecere se, non noxa, neque ob metum; sed aemulatione decoris et caritate principis. Ac postea promiscue Bedriaci, Placentiae, aliisque in castris, celebratum id genus mortis.“¹⁸⁶⁾

Ausonius quoque eum laudat, quod nobili modo perierit:

„Aemula polluto gesturus sceptris Neronis,

„Obruitur sceleri raptus Otho exitio.

„Fine tamen laudandus erit: qui morte decora

„Hoc solum fecit nobile, quod periit.“¹⁸⁷⁾

Otho dicitur fuisse modicae staturae, male pedatus scambusque, lato corpore, parvis oculis, subsimus, balbus. Ut caput omnibus fere capillis nudum contegeret, galericulo usus est. Muliebri fuit munditia, ut quotidie a prima lanugine, ne barba existeret, rasitaret paneque madido faciem lineret. Sacra etiam Isidis cum lintea religiosaque veste propalam celebrabat.¹⁸⁸⁾

Othonis memoria turpissime et eo maculata est, quod nefaria illa Galbae caede imperium accepit et quod iuventute maximis se inquinabat vitiis. Ipsae virtutes, quibus

¹⁸⁶⁾ Cfr. Tac. H. II, 49

¹⁸⁷⁾ Auson. Epigr. p. 200. ed. Souclay.

¹⁸⁸⁾ Suet. I. c. 12. — Malal. Chronogr. LX. p. 258.

praeditus erat, intelligi posse videntur ita, ut propter brevem fortunam secundam et vitae semper imminens periculum simulatae essent.¹⁸⁹⁾ Negari quidem non potest, praestanti eum fuisse ingenio, qui spei materiam praebuisset optimae, si animi vivacitatem ad bonum convertisset.

¹⁸⁹⁾ Cfr. Crev. l. c. p. 205 ff. — Tac. H. I, 71.